DE INFIRMITATIBVS HVMANÆ VITÆ,

COMPENDIVM MEDICINÆ,

in quo declaratur quid sit vnaquæque infirmitas, vnde proueniant ipsæ infirmitates, quos effectus producant, & assignantur simplicia, & domestica, quæ eis prosunt.

Collectum laboribus, & vigilijs Adm. Reu. P. D. *ARCHANGELI Romani, Monachi S. BENEDICTI, Prioris in Cong. Cœlestinorum, Philosophiæ, & sacræ Theologiæ professoris, & in Ecclesia Beatiss. Virg. ad Vrsum de Vrbe, Parochi.*



ROMÆ, Apud Franciscum Caballum. 1643.

Superiorum permissu.

EMIN. ET REV. D.

Patrono Colendissimo,

D. CARDINALI
FRANCISCO BARBERINO
VICECANCELLARIO.

SAPIENTIS ex testatione, (Purpurate Princeps) non esse habetur censum, supra censum salutis corporis. Sanitate enim nihil mortalium rerum vtilius, aut iucundius, & sine qua nulla earum grata, vel suauis esse potest. Quid enim prodest Regibus regnãdi suauitas, Ducibus, gloria fortitudinis; eruditis; sapientiæ oblectatio, si corpore iaceant infirmitatis molestia, & doloribus afflicto? Misericordia igitur magna pro ea Altissimus de terra creauit medicinam; cui tanquam inextimabilis boni conseruatrici, & reparatrici operam nauare non indignati sunt perfecti Philosophi, Reges quam plures, & antiquarum

quarundam gentium Dij, & sequaces veri filij Dei. Qua si gaudendum est, Eminentissimam, & Excellentissimam Dominationem suam, & Sacri Senatus PP. cum supremo omnium Principe Optimo, Maximo, Sanctissimo gaudere necesse est. Exemplari etenim, atque mirabili, qua fulget, & fulgent bonitate, vigilantia, & charitate, Alma Vrbs, totusque Christianus Orbis sustinetur, lætatur, iubilat. Fideles merito igitur omnes quotidie pro eo ante Deũ has preces deuotissime effundunt, Dominus conseruet eum. Omnes enim protegimur, omnes defendimur, & vita nostra tali, tantaque sollicitudine conseruatur. Grati estote, prædicat Apostolus (quod vt ego, ad quod permaxime afficior, & inclinor) adimpleam; hoc nostrum breue medicinale collectum, quod pro longeua incolumitate Eminentissimorum, & RR. DD. meorum, nostrique præcipue Patroni meritissimi deseruire aliqualiter poterit; summe inclinatus Eminentissimæ, & Reuerendissimæ Dominationi Suæ do, dedico, & offero. Dignetur igitur non respuere affectum meum; & me cum Cœlestina Congregatione mea commendatum habeat.

Seruus humillimus, & deuotissimus,

D. ARCHANGELVS Romanus, Prior Cœlestinus, & Parochus in Ecclesia S. *MARIAE ad Vrsum de Vrbe.*

AD

AD BENIGNOS LECTORES.

Misertus sum & sæpius, consideratione valida mei ipsius quidem, sed & aliorum quoque, & præcipue Religiosorum. Non potest negari quin litteris & scientijs, Religiosi præ alijs non vacent, & quin alios de facili superent. Sed heu! ad quid tantum ijs intendere, quæ in nobis ad summum accidentia sunt, & pariunt laborem, & dolorem iuxta sapientis auctoritatem, prætermissa necessaria cognitione vitæ propriæ? imò deperdito potissimo omnium bonorum bono, quale est nostra salus? Dum infirmi sumus, neque choro, neque Ecclesiæ, neque Fratribus proficimus, sed bene multos impedimus, & multos fastidimus, & opera nostra bona; & aliorum quamplurima cessant, & cessare facimus. Optima est igitur medicæ professionis cognitio. Nā per eam saltē à multis infirmitatibus, & periculis, prout attingunt vires nostræ præseruari possumus. Omnium infirmitatum, quibus interdum vita mea aggrauata fuit, potissimum ea erat, ignorantia scilicet, & cecitas causarum. Hinc compendiosè, vt consulerem vitæ meæ, & scripsi, & compilaui, quæ scripserunt, & docuerunt grauissimi, & excellentissimi huius professionis, & volui dominationes vestras participes esse laboris nostri. Accipite igitur, & benigne, & si quos fructus percipitis, sicut à me vobis ex charitate, cum charitate etiam vos alijs communicate, & Medicos iuxta Domini sententiam propter necessitatem honorate.

NOMINA SANCTORVM PROFESSIONE MEDICORVM,

Anniuersariam, quorum festiuitatem, vniuersalis celebrat Ecclesia.

SAnctus CYRVS Alexandrinus Martyr.
S. CÆSARIVS frater Beati Gregorij Nazianzeni.
S. DIONISIVS Diaconus.
S. CODRATVS Corinthius Martyr.
B. IOACHIMVS Iaponensis.
S. PAPILVS Diaconus Martyr.
S. IVVENALIS Episcopus.
S. IOANNES Damascenus, professione Monachus.
S. ALEXANDER Martyr.
S. VRSICINVS Martyr.
S. SAMSON presbyter Romanus.
S. MEDICVS Martyr.

S.AN-

S. ANTIOCHVS Martyr.
S. PANTALEO Martyr.
S. DIOMEDES Martyr.
SS. LEONTIVS, & CARPOPHERVS Martyres.
B. PHILIPPVS Benitius Florentinus.
S. GENNADIVS Confessor.
SS. COSMAS, & DAMIANVS Martyres.
S. EVSEBIVS Græcus Martyr, qui ad summum Pontificatus fastigium, Romæ fuit euectus.
S. LVCAS Euangelista, Medicus, & Pictor egregius.
S. ZENOBIVS Martyr.
S. THEODOTVS Episcopus.
S. ORESTES Martyr.
S. ÆMILIANVS Confessor.
S. ANTIOCHVS Martyr.
Et S. NICERATA.

Constantinus Afer, totius Medicinæ Artis illustrator, fuit Monachus in Casinensi Monasterio, sub Desiderio Abbate, qui postea fuit Victor III. Papa.

AVCTORES,

ex quibus desumpta est huiusmodi sequens doctrina medicinalis.

Tota haec doctrina extracta est ex operibus.

ARculani romani.
Antonij guainerij.
Michaelis sauonarolæ.
Capouacchi.
Montani.
Reinerij.
Bacchanelli.
Thomæ grossi.
Iacobi ruffi.
Andreæ de Cruce.
Valuerdi.
Mercurij romani.
Alberti Magni.
Aristotelis.
Scholæ salernitanæ.
Hippocratis, & Galeni, & aliorum quamplurium excellentissimorum, qui de ipsa medicina, & vulgariter, & latine scripsere.

APPROBATIO.

DE mandato Reuerendissimi Patris Fratris VINCENTII *à Florentiola, Sacri Palatij Apostolici Magistri. Ego infrascriptus diligenter vidi totum hoc opus inscriptum*, De Infirmitatibus humanæ vitæ, e Rimedij semplici, e familiari, &c. *ab Adm. Reuer. P. D.* ARCHANGELO *Romano Ord.* S. BENEDICTI *Congreg. Cælestinorum, Philosophiæ, & sacræ Theologiæ Professore compositum: cumque nihil in eo repererim aut fidei, aut bonis moribus dissentaneum; quin potius quamplurima tuendæ, ac recuperandæ sanitati proficua; & apprime vtilia; vt typis mandetur, & publicetur; dignum censui. Dat Romæ in Conuentu* S. AVGVSTINI *die tertia Octobris* 1641.

Fr. ÆGIDIVS Consonius Mediolanen. totius Ord. Eremitarum S. AVG. Proc. gen.

Approbatio ex Collegio Medicorum.

O*Pus hoc Adm. Reu. P. D. ARCHANGELI Romani*, De humanæ vitæ Infirmitatibus. E Rimedij semplici; &c. *conscriptum, inscriptumque, cum iussu Reuerendissimi Patris Fr. GREGORII DONATI SACRI PALATII APOSTOLICI MAGISTRI recognouerim, continere nihil vel orthodoxæ fidei, vel bonis moribus, vel quod pias aures offendat fidem facio, quinimò multa complecti medica dogmata, tum præsenti sanitati cõseruandæ, tum amissæ recuperandæ accommodata affirmo, & vt typis ad posteros transmitti possit reor. Hac die 13. Aprilis 1642.*

Ego Baldus Baldus in Almæ Vrbis Gymnasio Medicinæ practicæ ex ordinaria Cathedra Professor.

EGo infrascriptus, maximo studio perlegi collecta ex varijs Medicinæ Auertoibus ab Adm. Reuer. P. D. Archangelo Romano: quæ à quouis esse consideratione, & visu digna, affirmo. Ita est.

D. Philippus Vrsius, Medicus Phis. Rom.

PErlegi quam accurate potui, lucubrationes admodum Reuerendi P. D. ARCHANGELI Romani Monachi S. BENEDICTI Congregationis Cęlestinorum, de infirmitatibus humanæ vitæ, &c. In quibus omnia laudibus digna comperi, vt typis à posteros transmittantur, vt ex earum lectione, vtilitatem omnes percipiant. Datum Romæ hac die 31. Augusti 1643.

Ego Marcellus Lopez Medicus Rom.

VIsis prædictis Approbationibus, præsens opus in lucem edi, seruatis seruandis potestatem facimus, & elargimur. Dat. in Ven. nostro Monasterio S. Eusebij de Vrbe die 9. Iunij 1642.

D. Fabritius Campana Abbas Gen. Cœlestinorum.

D. Hilarius Rom. Abbas, & Secret.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij.

I. B. Episc. Cam. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Ioseph Maria Auila Magister, & Reuerendiss. P Mag. Sac. Pal. Socius.

TAVOLA DELL' INFIRMITA e altre cose, delle quali si tratta nella presente opera.

Il numero auãti la croce serue per l'opera latina, quello doppo la croce per l'opera volgare.

Del-

Del-

De tutti questi mali seguenti, e loro rimedij; si tratta nell' opera volgare, con altre cose necessarie da sapersi.

Per

Del-

E si come nel principio dell' opera latina se resolue il dubbio se alcuni siano naturalmente disposti ad alcuni malis e se tutti i mali siano curabili, così verso il fine del trattato volgare se risolue il dubbio se i diauoli possino causare alcuni mali, e infirmità . † 163. Nell' opera poi ce sono molt' altre cose curiose, e degne, tanto latine, quanto volgare; come sarà noto à chi la leggerà per suo vtile, e frutto.

Quid sit Medicina. Cap. 1.

Medicina est scientia sanitatis conseruatrix, morborumque repultrix.

Sanitas est harmonia, siue temperies quatuor primorum elementorum, quæ in nobis sunt. Quid sit sanitas.

De humoribus corporis humani. Caput 2.

Humores in humano corpore sunt quatuor: sanguis scilicet, pituita, siue phlegma; quam Medici definiunt esse sanguinem imperfectè coctum; vnde est viscidus, crassus, &c. Bilis: idest collera; quæ si calida est & sicca; flaua bilis appellatur, si frigida, & sicca; atra bilis dicitur: & Melancholia, quæ est quartus humor. Quid sit phlegma. Quid sit flaua bilis, & quid atra bilis.

Opifex rerum natura, ad sanguinem ab excrementis purgandum, quo corpori purus distribueretur, tria procreauit viscera. Sanguis à quibus purgetur.

Sic renes, serosum humorem; Bilis vessica, ipsam bilem: Lien, .i. milsam, quæ sanguinem feculentum ad se trahit. Quod si hic impeditus muneri suo non satisfaciat; deprauatus corporis color efficitur. Quemadmodum si bilis in vessicam suam non recipiatur, mixta sanguine, vniuersum corpus flauo colore tingit.

Corporis deprauatus color, & flauus, vnde proueniat.

Humores quomodo cognoscũtur in sanguine.

Ex quo hic superius locuti sumus de sanguine, ideo incidenter de eo notetur, quod cum extrahitur sanguis, & ponitur in vas, discernitur, quod separatur in partem, quæ est sicut spuma, & est cholera rubea: & partem, quæ est sicut fex, & res turbida, & est melancholia: & partem, quæ est sicut ouorum albumen, & est phlegma: & partem aquosam, cuius superfluitas, vrina vocatur, rubrum vero remanens est sanguis.

An aliqui sint infirmitatibus dispositi. Cap. 3.

Affirmatiuè respondent Medici. Vnde sæpe contingit, vt parens podagrosus, creet sobolem eodem modo, & morbo obnoxiam, ita catharro, epilepsia laborans pater, vt plurimum filium ijs eisdem morbis ob-

obnoxium relinquit: & ratio est, quia singulis partibus nostri corporis innascitur in vtero matris certum temperamentum, cuius ratione fit, vt hoc membrum sit illo longè infirmius, illud è contra validius, propter aliquem in patre, vel matre insignem affectum.

Item, quia aliqui à natiuitate habent corpora inæqualium membrorum, vt hepar & cor calidæ admodum temperaturæ, & ventriculum à natiuitate frigidum. vt perpetuo accedit ijs, qui habent epar nimis calidum. Vel sunt raræ texturæ: vt molles carne. Quia caro mollis facilè cedit tactui; qui talis est habitus, facilè patitur à quibuscunque causis extraneis.

An omnes infirmitates sint curabiles. Cap. 4.

Negatiuè medicos respondere videtur. Dicit enim Hippocrates, catharros in senibus difficulter curari, & à Galeno exponitur difficulter, idest nunquam. Natura enim omnia opera sua facit mediante calore naturali, si in membris introducatur intemperies frigida, extincto omni calore naturali; raro curantur. Vnde

quando materia frigida occupat membra, frigida, & neruosa, non possunt curari omnino.

Alia ratio est, quia etsi alimentum etiam bonum transmittitur ad membrum distemperatum, corrumpitur, quia pars illa, in qua calor ipsius est debilitatus, non potest exercere suas operationes naturales, quæ sunt expellere, concoquere, attrahere, &c. & consequenter non possunt curari. Et ad curationem dicunt Hippocrates, & Galenus, requiruntur tria, Natura, Ars, Fortuna.

De squamulis, Caluitie, tremore, & dolore capitis. Cap. 5.

Vnde defect⁹ capillorum.

AD generationem, & cõseruationem capillorum tria requiruntur, cutis; cui capillorum radices inhærent, materia ipsa; & calor agens. Si cutis consistat in nimia humiditate, vel laxitate, est defectus, qui dicitur defluuium capillorum: si cutis siccior, vel aridior sit, fit defectus, qui caluities dicitur: si materia deficit, vel corrumpitur; radices capillorum necessariò cadunt. Capilli enim defluunt, vel ob maximum

mum alimenti defectum, vel ob humorum perniciosam corruptionem. Cõsumpto enim humido in poris capillorum, pori elargati, eos non detinent. Canitiem non esse morbum omnino incurabilem, ostendit experimentum, quod quibusdam conualescentibus, canis ob morbum factis; pristinus color rediit. Canitiem retardat iniunctio ex oleo, & aqua. Oleum enim probibet ne caput siccetur, & aqua refrigerat, naturalemque calorem difflari non permittit. Canities enim fit ob innati caloris pauperiem. De Canitie. Remedium pro canitie.

Folia arboribus, & plumæ auibus redeunt, pili vero decaluatis non redeunt, quia caluities accidit propter mutationem ætatis, quæ est irreuocabilis, casus autem foliorum, & plumarum propter mutationem temporum, quæ est circularis.

Tremor capitis prouenit ex defectu regitiuæ virtutis, in neruis ipsius colli, & aliorum membrorum. Sunt enim in hoc morbo duo motus oppositi, quorum alter sursum, alter vero deorsum mouetur. Natura facit superiorem, morbus vero inferiorem, & sic ex controuersia duorum motuum; tremor prouenit. Tremor vnde proueniat

Cephalea est dolor diuturnus, qui intollerabilem capitis passionem affert. Vnde qui tali morbo laborat, neque strepi- De cephalea, & homicrania.

tum, neque vocem, neque luminis splendorem, neque motum tollerare potest. Et est cerebri morbus difficulter solubilis, & fit ab inflammatione in caluariæ membranis, ac cerebri pelliculis orta.

Hemicrania est dolor medietatis cranei, vel capitis, & prouenit cum vna pars cranei est altera debilior, scilicet sinistra vel dextera.

Vnde dolor capitis. *Caput dolet ex corruptione, vel superfluitate humorum. Cognoscitur autem vnde proueniat dolor, quia si sanguis est in causa, in anteriore parte capitis dolor aderit: rubet facies, & rubent oculi, & apparent quæ non erant solitæ apparere venæ. Et ab hora nona noctis vsque ad tertiam diei, quæ est hora sanguinis; inualescit.* **Quibus horis dominentur humores.** *Si cholera, dolor acutus ac pungitiuus in dextera parte capitis erit, quia cholera ibidem dominatur, & à tertia hora diei vsque ad nonam roboratur dolor. Si phlegma alias pituita; in vniuerso capite, & in occipitio maxime, idest in parte posteriori, vbi dominatur; grauitas sentitur magna, & frigiditas. A naribus plures superfluitates effluunt, & grauis fit somnus. Et à tertia noctis hora, vsque ad nonam continuè magis infestat. Si Melancholia, cum frigiditate quadam in sinistra capitis parte, vbi*

Flegma, & pituita idem.

ea plus viget: dolor plus sentitur, liuet facies, & patiens mortuos, ac terribilia somnia videt. Hora melancholiæ, quæ est hora nona diei vsque ad tertiam noctis, continue magis affligitur patiens. Huius melancholicæ passionis cura non est differenda, nam sicut camini parietibus conquisita nigredo, nec scopa, nec aliquo cum instrumento amoueri potest, sic nec per medicinas, quantitas fumi melancholici in corpore confirmati.

Quare cura melancholicę passionis non sit differēda.

Item capitis dolor prouenit à pituita in ventriculo generata, in caput ascendente, & eum nimium replente, eodē modo quo & vapores grossi ex cibo inconcocto, in ventre, in caput feruntur, qui ibidem retenti, & eum perturbant, & dolorem, & grauedinem, & alios morbos pariunt. Paulum vero inde moti, si ad cutim peruenerint, faciem vitiato colore inficiunt. Materia enim praua existente, necesse est quidquid inde defluit esse prauum. Ita pituita genita in capite, muccus propriè vocatur à Galeno.

Alia causa doloris capitis.

Facies vitiata vnde causatur.

De mucco.

Insuper ex hepatis calore, sanguis feruens plurimus generatur. A caliditate cordis etiam spiritus feruentes, & mobiles generantur, qui confertim, & cum impetu ad cerebrum delati, extendunt, per-

Omne cerebrum frigidū & humidum est, sed dicitur respecti-

ue calidum, humidum, & siccum.

cutiunt, aperiunt, agitantur enim interclusi in angustis locis, vnde necessario dolores excitantur, soluitur enim continuum, & efficiens causa omnis doloris est solutio vnitatis, quæ fit rumpendo, frangendo, incidendo, vel corrodendo vnitatem.

Quæ sit causa omnis doloris.

Inflammationem capitis habere sine dolore, signum est, quod quis raritatem texturæ habet, & vapores, sunt tenues, qui de facili euaporant, & etiam per oculos, vnde causatur pruritus oculorum.

De pruritu oculorum.

Cum caput valde manibus constringitur, iuuatur, quia reprimuntur vapores, & caput roboratur ne tam facile vapores ipsos suscipiat. Læditur tamen à frigore, quoniam dum friget corpus, pori astringuntur, vaporesque magis reclusi ascendunt ad caput, at calefacto corpore relaxantur, diffluuntque, & auertuntur. Qui vapores, & fumi si ex ventriculo ad caput ascendant, causant dolorem in anteriori cerebri parte; si vero ascendant per venam cauam, causant dolorem in parte posteriori.

Dolori capitis succurri tur quomodo.

Quando musculi, & corde repleti sunt viscidis, & crassis humoribus, non possunt contrahi, & dilatari, vnde impediunt circumgirationem capitis.

Capitis circũgiratio vnde impeditur.

De

De somnijs. Cap. 6.

SOmnia fiunt quando cum sanguine subtili, fantasmata descendunt in sensum communem, vt dicit Philosophus: Quod quidam nunquam somniant, prouenit quia in talibus est per totum somnum multa euaporatio grossa, & spissa ad cerebrum, vnde in eis semper est profundus somnus. Quare aliqui nunquam sōniant.

Et sciendū ex supradicto Philosopho quod recedente sensibili extrinsecus, remanent simulacra, & redeunt in somno ad organum sensus communis, porrò sensus communis ea refert ad sensata propria, sicut etiam facit in vigilia, ideoque videtur homini quod videat, & audiat, ceterisque sensibus agat. Et quia vapores existentes in cerebro, species rerum sibi conformium mittunt in sensum communem, & sic patiens, somnia illis conformia somniat; hinc volunt Medici: quod infirmi sint interrogandi de somnijs, ad cognoscendum humorem, qui in causa est morbi. Vnde prouenīūt somnia. Quare infirmi sint interrogandi de sōnijs.

Nam si res rubeas, cantilenas, choreas, risus, vel res lætitiam inferentes somniat; sanguinem peccantem arguunt. si autem res citrinas, saltare, volare, & rixas fa-

ce-

cere; & vniuersaliter res ad furorem pertinentes; choleram. Sed vbi aquas, pisces, niues, pluuias, & alia consimilia; phlegma id efficiet. At vbi mortuos, in profundum cadere, nigra videre, & alia timorosa somniauerit; melancholiam arguunt.

De Frenesi, & Delirio. Cap. 7.

Quid sit frenesis, & deliriũ.

FRenesis, & delirium est mentis alienatio à fumis putridis, à calidis humoribus resolutis causata. Fit enim ex eis apostema calidum in cerebro, aut panniculis eius. Sunt enim Frenès, panniculi quidam, cerebri substantiam inuoluentes, qui cum cerebrũ ipsum medullaris sit substantiæ, ne fluat, retinent. Ad similitudinem frenorum, quibus detinentur equi; panniculi dicti sunt frenès. Cum igitur illis in panniculis tale apostema, vt plurimum fiat; frenesis nuncupatur.

Quid prosit frenesi.

In cura frenesis ab extra deseruiunt crurum fricationes, & pedum, ac manuum volæ cum aceto sale mixto fricentur. Ventosæ item in tali casu conueniunt, quæ in spatulis sine scarificatione poni debent, & primo super nates, & precipuè vbi ætas,

seu

seu aliud phlobotomiam fieri prohibent. At illa, quæ applicantur capiti, sunt cum cautela approximanda, nam in capite repleto, seu catarroso nullum actualiter frigidum debet apponi, quia frigiditas illa primo occursu poros clauderet, & vaporum, qui sunt ægritudinis causa, respirationem prohiberet. Cautela notanda.

Frenesis & mania sunt vt species delirij, & sunt infirmitates insaniæ. De mania. De delirio.

Aduerte, quod tam vinum, quam aqua delirium facit si importunè febricitantibus detur. Licet hæc inter se contraria sint. Quoniam vini calor afferens se se ad partem superiorem, cerebrum cum febre deurit. Aqua sanè quoniam obtrudit foramina & iter claudit, quominus putris materia valeat exhalare, febres auget, & in causa est, vt mens de suo statu moueatur.

De Litargia. Cap. 8.

Litargia est apostema frigidum ad intra craneum in posteriori cellula capitis genitum, cum febre lenta, & continua, obliuionem faciens, & huius causa intrinseca, & extrinseca esse potest. Causa extrinseca est res qualibet potens humorem Quid sit litargia.

phleg-

phlegmaticum, aut melancholicum vaporosum generare, vt aer excessiue frigidus, somnus debito longior, retentio superfluitatum, &c.

Causa intrinseca est ipsum phlegma, & interdum melancholia in meatibus, vel panniculis cellulæ posterioris cerebri, aut in ipsa substantia cerebri congesta.

Item de mania.

Quidam letargiam dicunt frenesim esse frigidam. Mania coincidit quasi cum frenesi calida.

Item de causa letargiæ.

Item alij dicunt letargiam non veram solum esse mentis obliuionem, quæ senibus plerumque contingit, his scilicet, qui plurima abundant phlegmata in cellula posteriori cerebri, vnde organum memoriæ, nihil, aut bene parum retinere potest.

Somnus quãdo fiat.

Somnus etiam profundus dicitur à Medicis letargus. Nam letargus est secundum eos dormiendi inexpugnabilis quadam cupiditas.

Somnus fit refrigerato primo sensitiuo, idest cerebro, quæ refrigeratio si mixta fuerit cum multa humiditate facit lethargicas passiones.

De

De Vertigine. Cap. 9.

Vertigo est quotiescumque ventus consurgit, & terram in circuitu mictit: Sic & in vertice hominis, arteriæ, & venæ ventositatem ex resoluta humectatione gignunt, & in oculis girum faciunt, vnde & vertigo nuncupata est. Vnde proueniat Vertigo.

Alij vero dicunt, quod quando flatuosus spiritus inclusus, ad cerebrum fertur, & in eius partibus inordinatè mouetur, tunc omnia circumagi, atque rotari videntur, & concluditur à medicis, quod vertigo nihil aliud est, nisi inordinatus motus spirituum existentium in anterioribus ventriculis cerebri, causatus à vaporibus crassis, siue deueniant à stomacho, aut ab alijs membris, vel à toto. Quid sit vertigo.

Vapores qui à pituita eleuantur crassi sunt: qui à sanguine, tenues sunt; & isti tenues vapores causant leuem vertiginem, quia subito euaporant. Vapores distinguuntur.

Vapor anisi attractus vertiginem sedat. Pro vertigine sedanda.

De Epilepsia, vel morbo caduco. Cap. 10.

Vnde prouenit Epilepsia

HViusmodi morbus vocatur etiam morbus lunaticus, &c. & causatur à vapore, humore, vel vento. Vapor enim seu ventositas, in cerebro genita, vel aliunde veniens, si secum aliqua venenosa qualitas iuncta sit, cerebrum, aut eius pelliculas mordicando percutit, vnde sentiens nocumentum contrahitur, ad cuius contractionem, orta ab eo contrahuntur, & sic ex tali neruorum contractione fit in vijs spirituum oppilatio: propter quod ad membra, transire nequeuntes; motu, & sensu priuantur, & sic patiens cadit.

De Apoplexia.

Apoplexiæ morbus nequaquam aut raro curatur nisi febris apprehenderit, quia febris, si apoplexia fiat à spiritu flatuoso, vel à materia pituitosa, dispositionem soluit calefaciendo, extenuando, ac resoluendo spiritum flatuosum, & humorem pituitosum: vnde exhibet spem salutis ipsa calamitas febris.

Apoplexiæ illico administranda est omnis cura, nam dilatio ducit ad mortem festinam, cum morbus per se parum curam recipiat.

Id.

Idcirco cum protestatione mortis Medicus se ad curam intromittat.

Causæ huius infirmitatis esse possunt intrinsecæ, & extrinsecæ: inter extrinsecas sunt cibi ac potus inconueniens assumptio, fetidi aeris, aut alterius rei oblatio. Quæ sint causæ morbi conduci.

Quantum ad intrinseca; à quolibet humore potest indifferenter prouenire, frequentius tamen à phlegmate, & à corrupto spermate, tam in mulieribus, quam in viris. Item Epilepsia potest fieri à materia, & à qualitate sola, à materia fit ab humore crasso, pituitoso, & melancholico, obstruente ventriculos cerebri, & de obstructione loquor non perfecta, sed imperfecta, & diminuta. Non ex perfecta obstructione fit apoplexia vulgariter dicta goccia. Quia tunc homo penitus amittit sensum, & motum, ita quod iacet sicut cadauer. De morbo vulgariter dicta, goccia.

Inter alia signa apoplexiæ est spuma in ore. Galenus voluit spumæ duas esse causas, scilicet materiam humidam, & aerem illi intrusum per motum caloris. De causis spumæ.

Item apoplexia est quædam ventriculorum cerebri obstructio, per quam membra motu & sensu priuantur.

Epilepsiæ si phlegma in causa fuerit, veluti plurimum contingit, spuma grossa, & alba ad os erit. Si vero spuma ad crocitatem Quomodo cognoscat à quo humore proueniat iste morbus.

tem tetēderit, & in facie fuerit rubedo, cum quo infirmus post paroxismum cum quodam fatuo risu manet; causam fore sanguinem, nullo modo dubites. At si spuma fuerit modica, liuiens in facie sit saturninus: & post paroxismum veluti melancholicus remanserit; id à melancholia prouenire certum est. & vbi paroxismus sit leuis, spuma citrina, cum quo quietis tempore rixosus, & quasi maniatus infirmus manet; prouenit à cholera. Esto id raro fiat, nam sua caliditate aperit, & deoppilat, & sua subtilitate facile penetrat, & spiritibus viam præbet.

Quomodo Apiplexia à quo loco proueniat cognoscitur.

Locus à quo epilepsia proueniat sic inuestigandus erit, nam si à capite hoc fiat, grauitatem capitis, vertiginem, oculorum tenebrositatem, vel alios dolores sæpe caput patitur cum quo paroxismum venire non præsentit. Si à stomacho; dolores, nauseam, & alias stomachi ægritudines sæpe patitur, & in paroxismo, vt plurium euomit. Si autem à matrice, mulier persæpe de passionibus matricis conqueritur, & se commingit interdum. Si à splene, lateris sinistri dolores sæpe patitur. Si ab epate; passiones eius aliquæ præcesserunt. Si ab intestinis, dolores eorum sæpe veniunt, cum quo, vt plurimum in paroxismo stercorizant, & si

si à vermibus; in parexismo se polluunt.

Quo vero ad tempus, quo magis infestat Epilepsia, docet Auicenna, quod luna vim habet in nostris corporibus, & præcipue in cerebro, crescit enim, & decrescit ad motum lunæ. Vnde omnes ægritudines, & omnes defluxus à capite maxime exercebantur secundum lunam, & circa coniunctionem lunæ, & signanter inter alias, Epilepsia, quæ dicitur herculeus morbus, non quod Herculo superuenerit, sed quia inespugnabilis est, & inuictus sicut Hercules.

Hippocrates *Aphoris. 2. & 45. Quicumque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione ætatis, temporum, & locorum, victuum quoque liberantur.* **De morbo comitiali.**

De Catarro. Cap. 11.

C*Atharrus capitur dupliciter, propriè, & impropriè. Propriè, distillatio, quæ ad fauces, vel pectus descendit, dicitur cathαrrus. Impropriè vero cathαrrus dicitur, quæcumq; fluxio à superioribus partibus ad inferiora, qui iuxta partium, ad quas defluit diuersitatem, diuersa quoque nomina sortitur. Vbi enim ad os, ac fauces, & mox ad stomachum, siue gulam, atque*

inde in ventriculum defluxus contingit, simplici vocabulo distillatio dicitur. Dum ad nares, grauedo vocatur. Vbi vero ad palatum, & asperam arteriam dilabitur, raucedo vocatur.

Vnde catharrus nihil aliud est, quam fluxus immoderatus humorum à calore dissoluente, vel à frigiditate cerebrum comprimente, & materias catharrales exprimente; quod prouenit etiam ex pedum frigiditate. Sunt enim neruosi valde, cuius causa eorum frigiditas facili communicatur cerebro. Vnde propter hoc plurimi decipiuntur, credentes illud à sola cerebri frigiditate prouenire, & ob hoc caput valde coopertum tenent, & male. Quia plures ad ipsum quam prius vapores attrahuntur. Vel ex humiditate, quæ in proprio loco contineri non potest, sed exterius dissoluitur. Vnde inter causas catharri connumeratur grossi, & humidi aeris attractio. Vel tandem ex debilitate virtutis, humores continere non valente. Item causa catharri sunt ventriculus frigidus, & hepar calidum, quod semper attrahit chilum inconcoctum, & crudum. Et cum posterior concoctio non corrigat priorem, hinc fit, quod in omnibus venis multiplicantur superfluitates, & in toto ambitu venarum. Quem etiam causant,

Catharrus prouenit etiã e pedum frigiditate.

Ab humiditate aeris.

sant, & generant somnus multus, & nimia quies caput replendo, & humectando: Retensio superfluorum consuetorum euacuari, exercitium forte, ira fortis, & cogitationes fortes, humores liquefaciendo. A nimio somno, & nimia quiete, &c.

Studia quantum conferant ad catharrum, nouerunt qui student. Vnde Marsilius Ficinus recte dicebat scholares non habere hostem maiorem, quam catharrum. Qui catharrus si proueniat à causa calida, cognoscitur quia talis materia sua acuitate nares, & per quæ transit loca, mordicat, & in eis pruritum faciens, ad sternutationem cerebrum inducit. Si à causa frigida; cognoscitur quia olfatus destruitur, & materia, vt plurimum grossa est, atque viscosa. Oppilantur nares, & fit impotentia attrahendi per nasum. Huiusmodi catharro remedia sunt cibi calidi. Cobibitio, siue retentio spiritus, qui frigefactas pectoris particulas calefacit, & materiam pituitosam, & frigidam concoquit, & consumit. Vnde cognoscatur catharrum prouenire à causa calida. Vnde à causa frigida. Pro catharro frigido quæ prosint.

Interdum catharrus diuertitur cum fricationibus, lotionibus brachiorum, &c. Quæ habent diuersificari secundum materiæ diuersitatem. In catharro quidem calido sint frigidæ, & in frigido calidæ. Catharrus quomodo diuertatur.

Fricationes ad tibias, coxas, & brachia antequam patiens surgat, maximè conueniunt.

Et in Catarrho *suspecta sunt gargarismata in quatuor casibus, scilicet quando est suspicio catharri ad pectus, & pulmonem fluentis. 2. si sit de genere subtilium acutorum, & mordicantium. 3. in præfocationibus, quæ fiunt cito, in paratis ad suffocationem 4. si sit vehementis multitudinis.*

Quæ ei conferunt.

Conferunt catharro vitella ouorum sorbilium, & suffimigium vtriusque storacis continet catharrum.

Qua hora vtēdum sit lotione pro catharro.

Hora vero ablutionis pro laborantibus catharro diurno, ex intemperie frigida, & humida, est vesperi ante cœnam, vt deinde facilius possint aeris omnia incommoda vitari. Et post ablutionem suauiter, & leniter caput pannis moderatè calidis exsiccetur.

Quando catharrus difficulter curetur.

Quando catharrus cum dolore capitis coniungitur, difficulter curam recipit, dolor enim capitis, cerebrum debilitat, cuius causa plurimæ superfluitates in eo generantur, quæ multum catharri curam impediūt.

In cura catharri sæpè timent medici ne in principio suffocationem inducat, aut ad membra aliqua, vt ad oculos, nares, fauces pulmonem &c. multitudine sua, tumorosam aliquam ægritudinem efficiat.

Quando catharrus est acutus, subtilis, cu-

cuius fluxus facile excitatur siue concitatur, melius est retinere in ore infrigidantia, & ingrossantia, non gargarizando. Et si catharrus sit multus, & vehemens, non est gargarizandum. Et in casibus extremis, s. quando ex catharro timetur subita suffocatio, tutius videtur regimen diuersiuum, quam constrictiuum, quia licet agitet materiam, & multiplicet, vt masticatoria in purgando cerebrum, & diuertendo materiam à naribus, tamen conuertit multiplicatam ad partem contrariam, non timorosam. Ita Mesue præstantissimus Medicus. Et quando aliqui sunt cum tanta anhelitus constrictione, vt non possint loqui, neque quasi bibere, signum est hoc prouenire à catharro multo, & subtili, subito ad partes pulmonis præcipitato, aut ad aliquas partes, ob quarum nocumentum anhelitus impeditur. Talibus prohibenda est omnis locutio, & motus corporis. Est enim quies ipsa catharros maturans magis: & sedentes debent stare pectore dilatato, in aere libero, luminoso, ad frigidum declinante, sed non ventoso, & maximè si Auster, aut Borea efflauerit. Auster enim rarefacit, & capita replet. Borea verò frigiditate sua stringens, & comprimens, facit catharrum fluere.

Quomodo succurrendū catharro.

Anhelitus constrictio, quod signū sit.

Quem locū requirat catarrhus.

Qui catharro laborat, si cœnam sumpse-

Regula pro laborãtibus catharro.

rit, multum postea tardet ire dormitum, & recordetur, quod nihil pestilentius his, qui catharro subiecti sunt, quam sero e lecto surgere, & ad prandium accedere nocturno catharro adhuc fluctuante.

De catharro salso.

Catharrus salsus fit propter humores biliosos ab epate, & ambitu totius corporis eleuatos ad caput, & cum ipsum calidum reperiant, magis ibi excoquuntur.

De corizza.

Corizza dicitur à nomine græco, quod apud nos sonat lacerare, mordicare.

Non sitire in catharro quid sit.

Quando catharrus non causat sitim, signum est esse frigidum, quod si aliquam salsedinem habuerit, hoc erit vel propter putredinem humoris crassi adusti, secundum Galenum, & Aristotelem, vel, vt voluit Auicenna, propter permixtionem vaporum calidorum, & acrium, ex quibus fit salsedo.

De dolore dentium. Cap. 12.

Dolor in genere quid sit

Dolor genericè sumptus, est sensibilitas rei contraria. Vel est aduersæ rei repente occurrentis sensibilitas.

Dolor dentium vnde proueniat.

Causa dolorosa dentium prouenit vel à verme pungente, aut à materia grossa, & multa extendente, aut ab acuta subtili in sub-

substantiam euis penetrante, & quandoque causa dolorosa est gingiua, propter materiã ad ipsam fluentem, corrodentem, apostemantem, &c. & dolor perforatiuus quandoque est à ventositate retenta in radice dentium. Vermem autem esse in foramine, comprehenditur ex dolore interpollato, cum motu vermium.

Mobilitas dentium oritur secundum Galenum ex defectu alimenti, vt in senibus, & in ijs, qui vtuntur inedia. Deficiente alimento, locelli fiunt ampliores, & dentes minuuntur. Idem fit ob nimiam humiditatem nerui, qui substernitur radicibus dentium. Fit etiam ob succos, & humores abundantes aëres, scilicet calidos, resoluentes humiditatem, & desiccantes partes illas, in quibus dentes continentur, vt in morbo gallico. **Mobilitas dentiũ vnde oriatur.**

Succus foliorum de lentisco sicut solidat scissuras labiorum, & manuum; ita & dentes commotos confirmat, si sæpius in ore teneatur, & ligno eius viridi dentes candidantur, confrigati. Nigrescunt autem, & putrescunt ab excrementitia cerebri humiditate. **Remedia pro dẽtibus, pro scissuris labiorum, & manuum.**

Dentium mutua insertio, cum aperiendi impotentia, siue sit per contractionem musculorum, siue &c. certum est fieri à **Dẽtiũ insertio, & cõgelatio vnde proueniat.**

materia frigida, vel tenui admodum, quæ ad eas partes tanquam debiliores à capite violenter exprimitur.

Quæ prosint dentium stupori.

Dentium verò stupor, siue congelatio, habens tristem sensationem, vt contingit masticantibus res acres, acetosa, &c. curatur per salem fricatum. Nam sua caliditate, & siccitate frigiditatem resoluit, & id, quod ex humiditate subtili in dentibus est impressum, aut in superficie inuiscatum.

Panis etiam calidus hoc idem facit sua caliditate actuali, & in summa omnia calida.

Item sal præseruat dentes à putredine, & gengiuas astringit.

De scissione labiorum.

Scissio labiorum, & eorum vlceratio prouenit à cholera in labijs recepta, quæ sui acuitate scindit illa.

De Cataracta. Cap. 13.

Cataracta est oppilatio ex aqua, visum impediens, licet alij aliter diffiniant dicentes, quod est macula pannicularis intra

tra oculum, coram pupilla, per quam visus probibetur ex humiditate extranea in oculo existente, temporis diuturnitate, & frigiditate oculi congelata. Vnde cataracta propriè sumpta est opilatio aquosa, probibens transitum specierum visibilium. & vt plurimum humor à quo pendet cataracta est phlegmaticus, vel aquosus, rarò cholericus, sanguineus, aut melancholicus. Cataracta non semper situatur ex opposito pupillæ, sed aliquando magis supra, vel infra. Vnde propter hanc causam cataractici vident medietatem inferiorem vnius rei, aliquando superiorem, aliquando dextram, aliquando sinistram, &c.

Cataracta quid sit.

Vnde proueniat diuersitas visionis cataractici.

Inflammatio oculorum à medicis ophtalmia dicitur, cui nihil debet adhiberi nisi molle, lene, nullius visciditatis, lentorisue particeps, aut nimis corpulentum: talia enim frequenter adhærent affecto loco, & ita impinguantur dum exiccantur; vt remoueri non possint nisi locus exacerbetur, dolor excitetur, & inflammatio augeatur. Diuersio tamen materierum peccantium perficitur cum fricationibus pedum, lotionibus, &c. Oculis valde nocet nimius coitus, nam per eum aufertur id, quod commodum est eis, humidum scilicet aqueum, & sub-

De ophtalmia. siue inflamationa oculorum.

Oculis quid noceat.

subtile. Iam vero euulsis, atque euacuatis humidis, partes superiores necessario exiccantur, quo fit, vt oculi, qui humiditate vigent, à sua decedant natura; habetioresq; fiant. Et cum apparent concaui, videnturq. habere quendam circulum nigrum, hoc prouenit propter paucitatem spirituum, & boni sanguinis.

Oculorũ cōcauitas vnde proueniat.

Item quia oculus, vt ait Phil. est valde frigidus, quando in temporibus, & locis aliquibus infrigidantur supra temperamentum, generatur obscuritas visus, vt patet ambulantibus in niue, vel in glacie, vel in mari.

Item obscuritas visus.

Fumus quia mordacissimus sit, nimiumque exiccet, infestissimus est oculis. Arist. Probl. 22. fletus item immodicus retentricem oculorum facultatem imbecilliorem reddit, ideo visum vehementer obladit, & sanam oculorum aciem nimio plus siccando, hebetat. Et eadem ratione nocet ignis. Et hinc etiam senes obtuse vident, quia in eis, vt ceterarum partium, ita oculorum cutis, & membrana rugis contrahitur, quam ad intuendum leuem, & tenuem esse oportet.

Quare senes non bene videant.

Cum lusci, & senes parum videant, illi obiectum visibile parum admouent, hi aliquantulum remouent. Huius causam esse

Quare lusci diuersimodè videāt à senibus.

esse dicit Galenus, quia cum senes parum interlucidi in oculis habeant, egent externo lumine; ideoque remouent obiectum, vt magis illustretur. Lusci vero, vtpote albis præditi oculis, interno abundant lumine, atq; vt externum effugiant, visibile aliquantulum à luce auocant, ne externi luminis copia, visum offendat. Qui enim habent spiritus claros, non possunt videre nisi semiclaudant oculos, vt quasi subumbrentur spiritus. Et quando quis procul non videt, quantum oportet, prouenit quia spiritus ex longo studio, & labore mentis, rationalisque discursus fuerunt resoluti, paucioresque redditi, quam vt sufficiant longique visioni.

Lusci qui dicantur.

Et cum quis dum surgit, deterius videt, signum est quia plurimi in nocte vapores concepti, cum non possint pertransire, causant illud: sed cum absterguntur oculi, & mundificantur, illi vapores resoluuntur, & sic melius videtur.

Quare post somnum deterius videatur.

Causa quare color viridis, visum præ ceteris foueat, est, quia habet, & continet valde bene temperatam nigredinem cum albedine, vnde si oculus delectatur luce illa albedinis, non tamen dissoluitur eius visus. Visus enim ita optat perfrui lumine, vt per amicum suum amplificetur nec

Color viridis visum fouet.

ta-

tamen interim dissipetur. In quocumque alio colore plus admodum suæ nigredinis est quam lucis. Vnde radius visus non delectatur ad votum. Tenebras enim naturaliter, vt inimicas fugit.

Visus quare cõseruetur. *Delectatur insuper visus, atq; conseruatur molli, ac teneri qualitate, sicut aqua, quæ radijs oculorum absq; offensione resistit. Et specularia corpora, quæ soliditatem aliquam habent lenemque simul æqualitatem visui conferunt, quia nec ipsa quidem frangunt, nec longius disperdi permittunt.*

Virtus feniculi. *Traditum est in libris antiquorum, serpentem, annuam senectutem feniculi degustatione deponere, oculorumque caligines succum eius exprimere. Vnde intelligi datum est easdem virtutes etiam humanis corporibus vtiles esse, & certa postmodum experimenta docuerunt sic esse.*

De sonitu, & tinnitu aurium. Caput 14.

Vnde proueniat sonitus aurium. *MEdici docent hoc prouenire aut ex dispositione foraminis, sicut quando foramen auris est nimis largum, aut non debite tortum, & si hæc sunt à generatione;*

ne; ei non eſt cura. Foramine enim auris exiſtente lato, aut non debite tortuoſo, omnis minima inundatio aeris extrinſeci communicatur aeri intrinſeco exiſtenti in concauitate nerui auditiui. Aut quia miringe auditus eſt nimis tenuis, & ſubtilis, & quando neruus auditiuus eſt texture nimis tenuis, & naturali humiditate, ſiue conuenienti priuatus; patitur à qualibet inundatione aeris extrinſeci, & ſic ſequitur ſibilus. Aut quia aer ſit tenuis, & ſubtilis, vnde facile à quocumq; vapore mouetur ſicut frequenter accidit conualeſcentibus, & ijs, qui nimis abſtinent, humido reſoluto, & aere intrinſeco ſubtiliato. Quapropter neruus audituus factus debilis patitur à quacumque minima inundatione aeris intrinſeci, ſicut patitur debilis calorem & frigus à quacumq; minima cauſa calefaciente, & infrigidante. Sibilus autem etiam prouenit ab humoribus & ſpiritibus ſimul, qui vehementiore, atq; inordinato corporis motu concitati; craſſos, ventoſosq. generant flatus, quibus ſurſum vergentibus, cum facilis non pateat exitus, tinnitus excitatur. Quando etiam vapor craſſus, & viſcoſus agitatus à calido, non ita facile reſoluitur, ſtrepitum facit, quẽadmodum vapor venti propulſus in aere.

Alia cauſa aſſignatur.

Fel

Remedium pro sonitu aurium.

Fel bouis tinnitibus, & auris sonitui medetur, si cum bombace supponatur.

Item vapor aceti, siue fumus aceti, & succus foliorum capparorum (inter alia) sonitui prosunt. Sed aduertendum, quod id, quod in aurem proijcitur, non sit calidum, vel frigidum, sed tepidum, & in parua quantitate, & quod locus sit auriscalpio mundificatus.

Auditus obtusus fit cum ex inconcoctis, & crudis in ventriculo cibis, viscosi, & flatuosi suscitantur fumi, qui in caput sublati, auditorios obruunt meatus, auditumque grauant.

De Vermibus. Cap. 15.

Vnde vermis, & pediculi caufentur.

Vermes in auribus nascuntur ex sanie, idest marcia, aut alia humiditate ibidem putrefacta: sicut pediculos fieri ex carne corrupta iudicauit Aristoteles, vel ex sanguine corrupto, vt alij.

Quando in aure sentitur titillatio, & ad est pruritus, & dolor, qui secundum plurimum est pungitiuus, cum magna egri angustia, & inquietudine, hæc manifesta sunt signa ibi adesse vermes, vel similia ani-

Quæ fint signa vermiū.

animalia parua, ſicut pulices, cimices, &c.

Succus funiculi auribus infuſus, vermes necat, ad dulcia enim, & pinguia mouetur vermis. Ideo poſt hoc ad ſternutationem inducendus eſt patiens, ore clauſo, & naribus, vt impetus & commotio magna fiat ad partes aurium, cum quo excutiantur vermes exterius. Remediũ cõtra vermes.

Succus capparis, ſuccus lupinorum amarorum vermes interficiunt, ſi duæ vel tres guttæ ipſorum ponantur in auribus. Pro vermibus aliud remedium.

Vermes autem aſcarides, ideſt eſcam rodentes, generantur in recto inteſtino, à phlegmate putrefacto, & crudo humore, & magni non euadunt, quia vna cum fecibus excernuntur, & indicantur ex pruritu ani. Vnde patiens ratione pruritus ſe vehementer ſcalpit, & vi pruritus quandoq; ſincope aboritur. Et quando adeſt febris, quia vermium alimentum abſumit, vermis magis affligit. & cum calor febrilis vermem infeſtet, vermis redditur magis infeſtus. Vermes aſcarides vbi generentur.

Contra vermes indifferenter perſicorum nuclei, acetum, ſuccus citri, limonis, arantij medij ſaporis, & acetoſa valent. Auicennas probat ius cicerum, quia vermes ab oleo fugiunt. Folia caulium, ſumi- Quæ proſunt contra vermes.

mitates scilicet caulum in hieme, & brodium eorum, lactuca, borago petrosellinum, amagdulæ dulces, pineoli, ficus siccæ, & oliuæ salatæ, & similia etiam prosunt. Quia ex his frigida necant, sicca adimunt vermibus alimentum, & amara interficiunt.

De Balbutie. Cap. 16.

Balbuties vnde proueniat

G*Alenus dicit, quod balbuties linguæ est vitium, non vocis. Id vitij accidere potest, vel quia lingua sit quodammodo breuior, quam conuenit; vel quia molliore, & humidiore sit temperamento, quam ob causam pueri balbutiunt. Haud dissimile in ipsius euentu, atque ambulando fit. Nam ex ijs non nulli nullo pacto incedunt, alij vero in incessu sunt parum firmo, tibijs præ mollitudine titubantibus, & vacillantibus.*

Cognitis huiusmodi causis balbutiei, sapientibus facile erit intelligere, an huiusmodi defectus sit curabilis, & quomodo curabilis.

De

De raucedine vocis, & squinantia. Cap. 17.

Vox secundum Medicos diuiditur in grauem, acutam, & raucam. Tarde agitatus aer est causa grauis vocis, sicut acutæ vocis causa immediata est aer velociter impulsus. Vnde instrumenti angustia, vt in pueris, est causa vocis acutæ, eo quod aer velociter impellitur. At in pubertate instrumenta fiunt ampliora, ideo vox mutatur. In mulieribus acuta est vox propter frigus coangustans poros. Vocis diuisio.

Item mutatio vocis fit etiam ex seminis generatione, quia spiritus vitales in testes decumbunt, minorque copia ad reliquas corporis partes defertur, vnde aer minori impetu agitatur, &c. Vnde iuuenes incipiunt vocem mutare, si incipiant spumescere, idest coire. Vnde mutatio vocis.

Raucedo vocis prouenit & ex nimia siccitate, & ex nimia humiditate. Hinc nux cum vehementer exiccet, vocem exasperat, & oleum in biliosis corporibus, quia prompte accenditur, vocalem sæpe arteriam exasperat, raucedinemque parit, & si fit præcipuè ex immaturis oli- De raucedine.

uis, glutinosa sua qualitate, arteriæ diuturnè inhærendo, ipsam stringit, & exasperat, & similiter raucedinem parit. Frigus etiam capitis, quod caput comprimit, ac stringit, humores, qui sunt in cerebro, facit vt deorsum ad asperam arteriam defluant, eamque immodicè humectando; raucedinem excitat. Quod etiam prouenit à pituita, quæ ex sui naturæ frigidissima est.

Raucedini, & suffocationi, quæ prosint.

Raucedini, & etiam suffocationi causatis ex morbillis, si corpus satis euacuatum fuerit, prosunt ea, quæ repellendi vim habent, vt aqua ordei, cum sirupo rosato. Obleniunt etiam exasperatum guttur, & facilem expulsionem præstant sirupus violarum, granatorum dulcium, de prunis damascenis cum saccharo, &c.

Vnde vox magna causetur.

Vox magna fit ex multa caliditate, & forti virtute, & dilatatione vasorum, quæ sunt vocis instrumenta scilicet pectus, canna, pulmo, &c.

Squinantia quid sit.

Squinantia est apostema in gutture, anhelitum impediens, vel deglutionem, aut vtrunque.

Guttur, & meri quid sit

Guttur est spatium, in quo sunt meatus anhelitus, & cibi, & Meri est canalis scilicet via cibi ab ore ad stomachum. Vnde duæ sunt fistulæ in homine, spiritalis vna, & ci-

& cibalis altera, illa interior; & appellatur aspera arteria, ad pulmonem, & cor pertinens, qua spiritus à pulmone ad os transmittitur, exterior vero dicitur gula, quacibus, & potus deuoratur, & glutitur tendens ad stomachum, & huius gulæ summum fauces dicuntur, & etiam guttur nuncupatur.

Gurgulio propriè est pars gutturis à naribus ad pulmonem.

In cura gurgulionis gargarismi fiant ex decocto ficum, cum aqua calida, & si amplius augescat malum, & principium suffocationis suspectum sit, aluus forti clysteri subducatur.

Strangulatio est subitus ob inspirationis defectum, interitus: qui fit ex angustia alicuius instrumenti, ex ijs, quæ seruiunt inspirationi. Strangulatio fit cum hieme, veræque fluxio multa, & viscosa ad venas iugulares, idest vicinas gutturi defluxerit, & faucium venis tales impacti fuerint humores. De strãgulatione, quid sit, & vnde eueniat.

De siti, & cura sitis. Cap. 18.

Sitis ex Aristotelis, & Galeni sententia, est appetitus frigidi, & humidi, qua Sitis quid sit

dato & concesso, aqua in vniuersum est melior, quia frigida, & humida, tamen in cibi permixtione, & eiusdem ad omnes corporis partes dilatione; vinum præstantius habetur. Si quidem facilius tum propter substantiæ tenuitatem, tum actionis celeritate cibis permiscetur. Tum quia etiam natura eo magis delectatur, vnde concoctionem adiuuat sua caliditate, quam impedit aqua sua frigiditate. Insuper in aqua non inuenitur virtus incisiua, sicut inuenitur in aceto, neque calefactiua, sicut in melle, qui calefactione sua abstergit, & incidit: & propter hanc causam oportet vt sit aqua tota tardæ penetrationis, difficilis digestionis, & difficilis discensionis. Est tamen ex parte alia laudabilis.

Aqua quando non sumenda.

Tamen ab exercitatione vehementiori, aut statim à coitu, vel balneo non sumatur, quia tunc pori corporis aperti, ac robur non nihil dissolutum est, in profundum penetrans, aut calorem innatum extinguit, aut certe deteriorem reddit.

De diabete.

Et nota quod quando adest Diabetes, quæ est quædam renum affectio, in qua potio statim qualis assumpta est, per vrinam reijcitur, & prouenit, vel à facultatis attractoriæ vehementia; vel vehementi renum calore, quæ humiditates membra irro-

ran-

rantes attrabit, fit sitis vehemens, quæ potu non sedatur.

Diabetes *secundum Auicennam, vt plurimum accidit ex caliditate ignea, quapropter plurimum curationis eius est infrigidatio, & humectatio.*

Ad curandum vero sitim, vtile erit si aperto ore patiens super aquam recenter austam anhelet, & etiam diuertitur sitis si fricationes fiant per vniuersum corpus, quibus fumi calidi ad stomachum ascendentes diuertuntur. Pro curanda siti.

Hippocrates in lib. de salubri dieta ait. Qui sitiunt, debent se abstinere à laboribus, & vinum bibere aquosum, & frigidissimum.

Quem locum exponens Galenus docet, melius esse præceptum de vino ad extinguendam sitim, quam præceptum de aqua. Quia vinum facit aquam citius penetrare, vnde humectando, sitis citius finitur.

Aqua insuper potest propinari ad potum in magna quantitate ratione medicamenti, data enim ad satietatem, & siti, & febri confert. Vnde experientia compertum est, febrem extingui subitò per potum aquæ frigidæ. Dicunt enim Medici, quod quando accidit febris sola, præter quam cum ea sit indispositio alia, cui sit possibile euenire Aqua quãdo febricitanti prosit.

ex potu aquæ frigidæ nocumentum; tunc si aliquis febricitans vtitur aqua frigida, non solum est impossibile, vt noceat, sed iuuamentum est eius magnum, si bibatur cum mensura, quæ possibilè est, vt satiet eũ.

Quæ prosint ad sitim, exterius. *Exterius ad sitim extinguendam applicantur vnguenta refrigerantia, & humectantia, qualia sunt oleum rosaceum, & violatum, vnguentũ refrigerans Galeni, &c.*

Metuentes quare sitiũt. *Cur metuentes sitis inuadat, causa est, quia collecto introrsum calore, ardent viscera, humidumque absumitur, ex quo frigidi, & humidi appetitio, quæ sitis est.*

Cur vehementer illi sitiant, quorum ventrem inferiorem fluxus exercet, quia humoribus deorsum collapsis, stomachus resiccatur; sitis autem oriri nonnisi per siccitatem solita est.

Cur hidropici. *Cur assidue sitiant, qui aqua inter cutem laborant, & abundant cum ea sint pleni. Quoniam humor, qui in hidropisis non digeritur, corrumpitur, & salsus efficitur, stomachumque resiccare valet: vnde tristis sensatio, & sitis.*

Quare replcti multo cibo sitiant. *Qui se vario, & multo cibo ingurgitant, sitiunt. Quoniam vbi stomachus laborat, & æstuat in digerendo cibo; calor natiuus turbatur, & à sua temperie decedit, hinc augetur, & auctus mittit vapores siccos in*

os ventriculi, qui exugentes humidum alimentale; sitim inducunt.

De Asthma. Cap. 19.

A *Sma, videlicet anhelitus difficultas dicitur, & asma est affectus, qui respirandi difficultatem cum magno conamine præsefert, interdum à materia crassa inhærente facta, interdum ab odore rerum pectus constringentium prouemiens: & interdum prouenit à mala intemperie frigida coarctante, vel obstruente, vel à materia vt plurimum pituitosa in pulmone, vel eius branchijs inhærente.* Asthma quid sit.

Et quandoque prouenit à ventositate contracta in membranis anhelitus.

Conferunt asmæ allium coctum, & bettonica. Quæ conferant asmæ.

Razis inquit, quod asthma est veraciter, quod in canalibus pulmonis habet humiditates multas, viscosas, prohibentes ex ipsarum viscositate, ne aer trahatur quantitate opportuna.

Quando pulmo propter imbibitos crassos, viscidosque humores dilatari, & contrahi nequit, necessarium est, vt quod robori deest, id frequentia compenset. Vn-

Vnde proueniant crebræ anhelationes.

de sunt illæ anhelatiores crebrè, inde ea angustia pectoris, & quasi quædam ansietas, inde illud pondus, quod continue in tali parte sentitur.

De diaphragma.

Quando diaphragma comprimitur, & impeditur in dilatatione, & adest difficultas anhelitus, si flatus sunt in causa, dolor non multum durat, quia flatus cito discutiuntur, secus si ex abundantia materiæ prouenjat.

De pulsibus. Cap. 20.

Pulsus quid sit.

PVlsus est motus dilatationis, ac contractionis arteriarum. Vel pulsus est cordis, arteriarumque dilatatio, ac contractio.

Quid sint arteriæ.

Arteriæ sunt organa conçaua, in longitudine extensa neruorum, per quas cor euentatur à suis fumis, & respirat calor naturalis, & distribuuntur spiritus membris, quæ sunt post ipsum. Vnde vocantur venæ, quæ calorem naturalem à corde ad omnia deferunt.

Quæ sit causa efficiens, & finalis pulsus.

Pulsus causa efficiens est vitalis virtus, & cor, ad ipsius aeris attractionem, ac eius inutilis expulsionem. Finalis est ad cordis, & arteriarum refrigerium, & fumorum ex-

expulsionẽ, ne spiritui et calori accidat suffocatio: quemadmodum candelam accensam, à fumo circumuolutam, & aeri libero non expositam suffocari contigit. Vnde hac tria pulsum constituunt, scilicet virtus vitalis, instrumentum vel arteria, & necessitas euentandi, & mundificandi.

Pulsus velocitatis causa est multitudo necessitatis euentandi, Tardus pulsus magno perficitur tempore, propter defectum humiditatis naturalis arteriarum, aut quia diminuta sit necessitas, &c. **Quæ causa velocitatis pulsus, & eius tarditatis.**

Spissitudinis causa est debilitas virtutis, aut multa necessitas, aut multa caliditas. Spissitudo enim restaurat id, quod deficit ex magnitudine, sicuti cum homini necesse est rem ferre ponderosam, quam si poterit, totam vna vice feret, si vero non: diuidet in duas partes, & festinabit, & si sic non poterit; in multas partes diuidet, & feret quamcumque partem cum velocitate.

Raritatis pulsus plures assignantur causæ, prima est fortitudo virtutis, & necessitas parua. Nam virtus fortis magnificando pulsum, necessitatem superat, vna etenim vice plus de aere attrabit, quam sit pro refrigerio debito necessarium. Vnde quia necessitatem non habet, magnam in- **Quæ causæ raritatis pulsus**

interponit quietem, & sic rarificatur pulsus. Sed aduertendum, quod cum mors appropinquat, pulsus ex frequenti fit rarus ex debilitate virtutis.

Vnde proueniat pulsus tremulus.

Pulsus tremulus prouenit à fortitudine virtutis, & à duritie instrumenti, ac necessitate aucta: Nam tremor est motus compositus ex motu sursum, & motu deorsum, in qua nec virtus est totaliter potens supra resistentiam, siue membri grauitatem, nec totaliter impotens supra resistentiam, & si necessitas non esset aucta, virtus suum conatum contra duritiem non faceret.

De Febribus. Cap. 21.

Febris vnde sic dicatur.

FEbris natura ignea est, vt pote quia corpus febricitans ardet, & feruet more ignis, vnde à Latinis propter feruorem febris dicitur.

Ignis definitur à philosopho, quod sit superabundantia caliditatis, & sicut ignis liquet, vrit, & incinerat, sic etiam febris cum maximum progressum fecerit.

Galenus eam esse mutationem natiua caliditatis ad igneam naturã definit, vel totius animantis immodicum calorẽ. Auicennas item, quod sit calor extraneus accensus

in

in corde, & missus in totum corpus per arterias & venas, cum læsione naturalium operationum affirmat. Et sic concluditur à medicis, quod febris est calor innaturalis à corde exiens, & per totum corpus se diffundens, ipsius corporis actiones impediens, atque turbans. & quia in corporibus humanis tria sunt, scilicet quædam subtilia, sicut sunt spiritus, qui sunt partes subtiliores sanguinis: quædam liquida, sicuti sunt humores; & quædam solida, sicut sunt membra, ideo triplex febris in corpore generatur, vna quæ fit ex calefactione, & dissolutione spirituum, quæ dicitur Ephemera à belua marina, quæ Ephemera vocatur, quæ eadem die qua nascitur etiam moritur; sic ista febris non durat vltra diem, aut enim ex toto deficit, aut in putridam, & ethicam conuertitur. Quidam tamen Medici docent eam posse durare etiam per tres dies. Putrida: quæ fit ex corruptione humorum; & ethica, quæ fit ex corruptione membrorum.

Febris quid sit.

Spiritus quid sint.

Galenus primam febrem comparat vento calido, à quo locus in quo fuerit, incalescit. Putridam similem esse dicit aquæ calidæ, quæ posita in vase frigido, ipsum facit calefieri. Ethicam vero comparat vasi calido, quod aquam frigidam immissam

ca-

calefacit, membra calefaciunt cor, cor Spiritus, & humores in Ethica.

Spiritus diuiduntur.

Spiritus generatur ex subtiliori parte sanguinis, & diuiditur in animalem, naturalem, & vitalem. Vitalis generatur in corde, animalis in cerebro, & naturalis in epate.

Febrium diuisio.

Febres diuiduntur in continuas, & interpollatas. Si humores intra venas putrefiant, faciunt continuas, si vero extra; faciunt interpollatas. Docent tamen Medici, quod non inconuenit aliquam materiam intra vasa contentam, facere interpollatam febrem, propter paucitatem eius, ita quod interponet tempus, donec aggreget tantam quantitatem, quæ sufficiat de nouo febrem causare.

Et ita similiter non inconuenit materiam ad extra vasa existentem, aliam à sanguine, in loco scilicet propinquo cordi, facere cor continue febrire.

Variæ causæ assignatur intermissionis & continuationis febris.

Galenus causam intermissionis, & continuitatis febris ad locum refert, dicens, quod si humores putrefiãt intra venas, &c.

Quam sententiam confirmat Auicennas multis modis, & primo. Cum humores sunt intra venas, fumum, seu vaporem putrem continuata alteratione ad cor transmittunt, nam foras transmittere non possunt

ſunt propter obſtructionem, at cum ſunt extra venas, non neceſſario petunt cor, ſed alijs pluribus vijs poſſunt inſenſibiliter tranſpirare. Sicut v. g fumi intra caminum exiſtentes, neceſſitate quadam, camini culmen ferire debent, extra caminum vero poſiti nequaquam. Secundo humores intra venas exiſtentes, inter ſe vel ſunt continui, vel ſumma vicinitate coniuncti, ac propterea ex vnius corruptela, facile putredinem concipit reliquus, atque ita continuatim vſque ad cor. Tertio humores intra venas exiſtentes, multo ſero perfunduntur ratione cuius copioſum fumum ad cor emittere valent, quod ſatis patet exemplo lignorum aqua madefactorum. Secus humores exiſtentes in habitu corporis.

Tamen etiam ex materia exiſtente extra venas poſſunt excitari febres continuæ, ſi v. g. humor ſit copioſus, & per cutim tranſpirare non poſſit, & cor verſus nullum impedimentum habeat. **Etiã materia extra venas poteſt febres cõtinuas cauſare.**

Sanguis poteſt dupliciter peccare, ſcilicet in quanto, & in quali.

In quanto quidem, cum venæ ſunt adeo replete naturali ſanguine, quod reſpiratio debita prohibetur, propter quod ſanguis ebullit, & inflammatur, & febris inde generatur. In quali vero, cum non fuerit **Ex ſanguine quare cauſetur febris.**

de-

debitæ qualitatis: in eo enim putrefactio interdum accidit propter humoris admixtionem, vt puta choleræ, & tunc redditur debito subtilior; aut phlegmatis aquosi, & sic aquosior debito; aut phlegmatis grossi; & tunc debito grossior.

Constrictio, siue obstructio ex quacumque istarum causarum excitatur, siue humor sit crassus, qualis proprie est melancholia, siue viscidus, vt pituita, siue copiosus, vt sæpe contingit in bile, & sanguine; cohibita transpiratio febrem excitat, eo prorsus modo, quo cubicula calidiora redduntur, si foramina obstructa fuerint, teste Galeno. Et sciendum, quod retrocessus caloris ad intra potest fieri dupliciter, scilicet affatim, & subbito; & lentè, & paulatim, si fiat primo modo, vt si quis in pratis dormiat, & in aqua frigida immergatur protinus febricitabit.

Vnde febres excitentur.

Vnde repentinæ febres

Febris licet ex sua natura, & per se noceat, tamen aliquando opem ferre potest, vt quando suo calore humores crassos, ac viscidos dissipat.

Et si aliquando prosint.

Docent etiam Medicinæ professores, quod sicut alijs humoribus à sanguine, inest per eorum intrinsecam naturam habere periodos, vt choleræ de tertio in tertium; phlegmati de die in diem, melancholiæ de quarto

to in quartum, ita ſanguini ineſt continue affligere. Nam cum ſit theſaurus vitæ, & à natura maxime dilectus; non quieſcit natura in mouendo, & agitando eum, vt ipſum rectificet, & ipſum ſic conſeruet, quam ſollicitudinem non habet de alijs humoribus. Vnde ex bile, tertiana; ex melancholia, quartana; ex pituita, quotidiana excitatur; ex ſanguine vero continua. Qualis febris excitetur à quolibet humore.

Phlegma febrim excitat, quæ ſingulis diebus accenditur, tum ſuæ quantitatis in corpore multitudine, tum putrefactionis accelleratione, humiditatis cauſa; tum etiam euacuationis mora, propter ſuam viſcoſitatem. Cholera vero nigra febrem facit, quæ vno die accenditur ex duobus non, eo quod tardè aduretur, propter quantitatis ſuæ paucitatem, & difficilè putreſcit propter ſuam ſiccitatem. Celeris autem euacuationis eſt, quia minime viſcoſa eſt.

Periodus ſignificat ordinatam repetitionem de die in diem, de tertio in tertium, de quarto in quartum, &c. Quid periodus.

De cauſa huiuſmodi periodorum maxima eſt inter Medicos controuerſia. Quæ cauſæ ſit varietatis periodorum.

Trallianus cauſam aſſignat humorum abundantiæ hoc ordine, quod cum maior ſit in noſtro corpore ſanguinis copia, quam Prima opin.

alio-

aliorum humorum, ex eo fit sijnoca, quæ nullum habet periodum. Post sanguinem abundantissimam esse ait pituitam, & propterea hæc parum intermittit, & facit febrem de die in diem, & Auicenna in cap. de humoribus dicit, quod phlegma nullum proprium habet receptaculum, inter venas sanguinem concomitatur, vt necessitatis tẽpore in sanguinem conuertatur, cum sit sanguis diminutè decoctus, & cum hoc vt humectet iuncturas, & membra, quæ multæ existunt motionis. Post pituitam, bilis: & hæc paulo magis intermittens, de tertio in tertium. Vltimum locum tenet melancholia, quæ adhuc magis intermittens: febrem excitat quartanam, quæ repetit de quarto in quartum.

Phlegma est per totum.

2. opinio. *Auezoar, quem sequuntur ferè omnes Arabes, causam periodorum aptitudini humorum assignat ad putrescendum, ea ratione, vt qui naturaliter sunt humidiores, ad putrescendum sint faciliores. Et quia omnium humidissima est pituita; de die in diem accenditur. Siccissima vero melancholia non nisi de quarto in quartum, Bilis vero, quia medium locum tenet de tertio in tertium periodum facit.*

3. opinio. *Galenus adscribit causam periodorum determinatæ transmissioni de membro ad mem-*

membrum. Similem sententiam sequi videtur Auicennas, superaddens tantum proprietatem occultam ipsorum humorum, quod vnus scilicet pituita moueatur, & transmittatur de membro ad membrum, de die in diem, alter de tercio in tertium, & melancholia de quarto in quartum.

Et sciendum, quod proprietas occulta non est aliud, quam intrinseca quædam inclinatio vnius rei ad vnum effectum, potius quam ad alium. Quid sit occulta proprietas.

Item & notandum, quod sicut nimius motus est causa febris, ita etiam nimia quies ex Galeno. Siquidem nimia segnitie retinentur excrementa in corpore, quæ meatus obstruentia, febrem excitant. A nimio motu, & quiete febris causatur.

Idem Galenus, deficientes cibos febrem excitare docet, quando asserit inedia bilem confluere in ventriculum, & ex hoc confluxu incendi spiritus, & consequenter febres fieri. Item ex inedia.

Principium febris iudicatur à frigore extremorum, pedum, manuum, narium, &c. Vnde Galenus rigorem proprium esse asserit tertianæ, horrorem quartanæ, & frigefactionem quotidianæ. Principium febris vnde iudicetur.

Rigor est iniocundi frigoris sensus, cum inæquali totius corporis concussione, qui fit dum humor molestus celerrime defer- Quid sit rigor.

tur per corpus, & tali rigore superuenien- te; significatur materiam peccantem extra venas impetuose, & velociter expelli, qui super musculos repulsa, rigorem causat, & est signum dominij virtutis super materiam.

Quid sit horror.

Horror definiri potest, quod sit iniucundi frigoris sensus, cum solius cutis inaequali frigiditate, vnde videntur pili erigi.

Humores, qui horrorem faciunt, crassiunculi sunt, hinc cum nec per membra deambulare possint, nec per cutim transpirare, vel consistunt iuxta ossa, vel lente agitantur inter vtranque cutim, vnde post horrorem sentitur ab aegro, veluti si ossa essent perfracta, & ex confricatione cutis, maximus dolor adest. Et quemadmodum si super corpus fundatur aqua frigida, vel cadat super ipsum ignis scintilla, corpus horret, atque reducitur. ita &c.

Frigefactio vnde fiat.

Frigefactio fit per humorem frigidum, veluti est humor melancholicus, qui est crassus, feculentus, frigidus, & mordax, & astringens sicut acerba quae Arabes pontica dicunt. Cum ergo humor iste ab interioribus ad exteriora mouetur, facit frigus magnum, quod praecipuè experiuntur iuuenes, in quibus natura fortis repellit ma-

materiam ad exteriora, ideo frigus insigne sentiunt, vt indigeant plurimis operimentis quando febricitant.

In controuersiam venit an rigor fiat non tam à causa frigida, quàm à calida, ab vtraque causa fieri Galenus docet. Auicennas tamen in ea opinione est, quam sequitur Auerroes, ab humoribus viscidioribus, & frigidis fieri vehementiores rigores, quia, vt docet ipse Auicennas, tunc magis retrahitur calor, quando fugit maiorem inimicum, sed maior inimicus caloris est frigus; ergo

Vnde fiat rigor.

Secundum Galenum tamen maior rigor semper erit, qui sequitur humores calidos, quam qui sequitur frigidos; quia calor natiuus est positus in quadam mediocritate, quæ mediocritas duo habet extrema; vnum est frigus, & alterum est calor vehemens, & summus. Calor positus in hoc medio, magis sibi inimicum habet summum calorem, quam externum frigus; quia citiùs extinguitur calor natiuus noster sub calore summo, quam sub frigore summo: nam à calore subitò comburitur, à frigore verò nemo statim interijt, & calida magis mordicant, & stimulant virtutem expultricem, quam frigida.

Principium ægritudinis secundum Me-

Principium

ægritudinis augmentum status, & declinatio.

dicos est, quando ægritudo incipit, scilicet calor suffocatur à materia, sicut debilis flamma à lignis viridibus. Augmenti vero est tempus, quo calor naturalis mouetur ad resistendum materiei. Status vero, quo tempore est fortis pugna inter naturam, & humorem. Cum autem materia expellitur, quo tempore est natura perfecte vincens: tunc est declinatio.

Alij dicunt, quod inceptio paroxismorũ est in hora, in qua aggregatur caliditas, quæ est in corpore, & trahitur versus cor, & pectus, sed augmentum est quando expanditur caliditas paulatim versus extrema corporis. Hora vero status est quando caliditas expanditur in toto corpore, &c. Hæc doctrina notanda est pro cibandis febricitantibus, vt inferius dicetur.

Venæ, & arteriæ in quo differant.

Et quoniam in principio huius capitis facta est mentio de venis, & arterijs; ideo sciendum, quod venæ & arteriæ differunt inter se origine, officio, & constructione. Origine; quia venæ ab hepate, arteriæ vero à corde originem habent. Officio; quia venæ crassiorem sanguinem, ad nutritionem destinatum continent, spiritiosorem arteriæ; ad viuificandum accõmodate. Constructione; quia arteriæ duplici contextæ fuerunt tunica, simplicem vero à natura ha-

habuerunt venæ, eo quia crassiorem asseruare sanguinem debebant.

Et quia hic est tractandum de pulsuum significationibus, ideo est notare, quod pulsus, qui continuè sentitur calidus, significat febrem continuam: qui interpollate, interpollatam. De pulsuum significationibus.

Pulsus frigidus significat caloris naturalis extinctionem, & mortificationem, & si continuus fuerit, & sint alia signa deficientis virtutis, tunc fugiant medici, & accedant clerici. Pulsus quando indicet mortem.

Pulsus inæqualitas prouenit, quia cum non dilatatur vt refrigeretur, subintrant fumositates, vel fulgines febris, quæ ne cordi officiant, statim cor restringitur. & sic pulsus tardius eleuatur, & citius deprimitur. Vnde eleuatio pulsus est parua, & tarda, & eius depressio, scilicet constrictio est magna.

Considera anhelitum in sua restrictione, & sic manifestabitur ea, quæ est arteria, quoniam anhelitus currit cursu pulsus.

Pulsus, & anhelitus, cuius constrictio est velox, est signum proprium febris putridæ, & maxima cognitio dicta febris est caloris eius qualitas, quia est mordax, quo corrodit tactum, sicut fumus oculos, & nares. & anhelitus est cum fetore, cuius

causa est summa putredo.

Si in acuta, & continua febre pulsu existente magno, veloci, & frequenti, subito pulsus rarus fiat sine patientis alleuiatione, mortem significat, quia ex hoc comprehenditur virtutem in vltimo debilitari.

De Febri tertiana, duplici, quartana, & Ethica. Cap. 22.

Febris quando careat periculo.

Hippocrates docet, quod febris quocumque modo intermiserit, periculum abesse significatur. Et ad faciendam febrem intermittentem tria requiruntur, humoris videlicet tenuitas, viarum apertio, & venarum robusta expulsio. Et ad continuam generandam; imbecillitas venarum, humoris crassities, & viarum adstrictio.

Tertiana quo modo terminetur.

Tertiana, vt plurimum terminatur sudore per totum corpus fluente, vel vomitu, iuxta illud Galeni, Tertiana vomitibus, & excrementis biliosis, & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet. Quia humor tenuissimus si modo ascendit, vomitum irritat, si descendit, aluum mouet, si ad meatus cutis, sudorem copiosum ob sui te-

tenuitatem elicit.

Crisis dicitur vehemens motus morbi, cũ infirmus ad mortem, vel ad salutem deducitur. Quid Crisis.

Tertiana tollitur sublata putredine, à qua pendet, humore scilicet bilioso obstruente, qui non crassitie, neque viscididate obstruit, sed multitudine. Et pro victu in eius cura, cibaria debent esse, quæ refrigerent, & humectent, vt lactuca, endiuia, aqua ordeacca, & similia, & vinum tenue aquosum quando sit concedendum.

Galenus facit differentiam inter duas tertianas, & duplicem tertianam. Nam duplicis tertianæ causa ab vna tantum minera prouenit, sed duarum tertianarum causa à duabus mineris loco distinctis efficitur. Quando contingit duas materias febriles esse in diuersis locis, & ita quod patiens omni die febricitet; appellatur tertiana duplex. Quando putrescit pars subtilis sanguinis, quæ sapit naturam bilis, facit paroxismum tertianæ. Quando fex sanguinis; facit paroxismum quartanæ. Quando pituita putrescit, facit paroxismum quotidianæ. De Tertiana duplici.

Cum duplex sit genus febrium sanguinis, alterum à putrefacto sanguine, alterum à non putrefacto, ambo sub vno tantum De febribus sanguineis.

tum nomine sinochij continentur

Vnde dicimus sinochium esse febrem acutam, continuam ex sanguine in venis putrefacto ortam, alteram vero esse febrem acutam ex sanguine in venis non putrefacto, sed in multa copia peccante.

De causis talium febriū.

Causa *sanguinearum febrium sunt obstructio, repletio, multitudo exercitij non consueti laboriosi, consuetæ euacuationis retentio, humoris crassi & crudi copia, sanguine admixta.*

De febribus ardentibus.

Senibus *non acutæ febres accidunt, & si quando accidat talis febris qualis iuuenibus, omnino hæc ad ægrotantis interitum terminatur. Quoniam indicium est, immensam quandam esse causæ febrem facientis magnitudinem, ita Auicenna cum Galeno.*

De febre quartana.

Quartana febris generatur ab humore melancholico, vel succo melancholico, nigro, hoc est fece sanguinis frigida, & sicca. Curatur calefacientibus, & humectantibus. Quartana similiter, quæ ab humore adusto, vel bile aliqua assata, vel sanguine super assato genita fuerit; refrigerantibus, & humectantibus euincitur.

De ethica.

Febris ethica, in corde principaliter, & in omnibus membris est fixa, & dicitur ethica, idest habitualis, quia de difficili est re-

remouibilis sicut habitus qui est de difficili mobilis.

His, qui calidæ, & siccæ complexionis existunt, maxime in febribus calidis, & temporibus calidis, quando talibus famem pati facimus, docent Medici, quod febres eorum quamuis sint debiles in radice, conuertuntur in ethicam. Et certe nonnulli sic errant. Aduertendū

Vnde corporibus colericis, & quæ exuberanter sunt sicca, macra, & viuentia in multo exercitio, & vigilia, exhibendus est cibus in paroxismo, & ante, & quacumque hora occurrit medicus, si non sunt cibata, alias accidit eis sincopa, & moriuntur subito in ipso paroxismo. Vel si sint fortes, & apti resistere sincopæ, cadunt in ethicam. Et sicut in calce non extincta, non apparet notabilis calor, & tamen si superinfundatur aqua, ebullit, & ardet euidentissime; eodem modo in ethico caliditas sicca habituata in radicalibus, superueniente nutrimento frigido, & humido; actualiter fit sensibilis, & ebullit, & apparet maior. Qui cibandi in paroxismo. Similitudo.

Oscitant ante febres ægrotantes. Nam quemadmodum ex cacabis vapor eleuatur multus, feruente in ipsis, & ebulliente aqua, ita ex eis, quæ in corpore ascendens va- Febricitãtes quare oscitēt ante febrem.

vapor, & excitat, & contorquet corporis musculos, atque ita biatus, & oscitationes fiunt.

Aere frigido augetur febris.

Et quia per aerem frigidum probibentur vapores grossi à sua resolutione, & fit oppilatio in poris cutis, fit conuersio eorum ad intra, & sic augetur febris, in febricitantibus.

Acuties morbi vnde cognoscatur.

Hippocrates Aphorism. 28. dicit malum esse si facies egri cito consumatur plusquã oportet, vel nibil consumatur, quoniam alterum mortem, alterum indicat morbi longitudinem. Item si bilis prædominabitur, acutum esse morbum, & citò terminaturum docet Galenus Contra fore morbum longum ostendit crassities, & tenacitas materiæ, pituitosæ scilicet, vel melancbolicæ. A viribus vltimò desumitur cognitio speciei morbi, quia si vires subito collabuntur, signum est febrem acutissimam esse, si vires sub morbo durent valide, morbum fore diuturnum significat.

Item pulsus magni, celeres, frequentesque, acutam eße febrem ostendunt, tardi vero, & rari, longam, & cronicam. Et si qui febre laborant, densa textatura fuerint, & meatus angustos babuerint, ij profecto non de facili à febre, & citò liberabuntur. Ratio est, quia conclusus calor, qui non potest

test expirare, diù durat, & excrementa non habent viam per quam effundi possint.

Modò assignanda est causa anticipationis, & postpositionis febris, pro quo sciendum, quod materia morbi quandoque est vniformis, scilicet quando est æqualiter grossa, seu viscosa, vel subtilis: & æqualiter frigida, vel calida. Et quandoque est difformis, scilicet vna pars est subtilis, & alia grossa; vel vna pars est viscosa, & alia non: aut vna pars est calida, & alia frigida. In materia vniformi paroxismorum anticipatio significat augmentum, sed si fiat postpositio; significat declinationem. Quia paucitas materiæ est causa elongationis periodi. Quia materia pauca ferè relinquitur à natura, & postpositionem facit. Sed in materia difformi aliud est, quia si pars subtilis, & non viscosa, aut calida primo incipiat putrescere, semper fit paroxismorum postpositio. Quia per resolutionem primo subtilis remanet grossum ineptum moueri. Quod si pars grossior prius putrefit, tunc anticipabit. Quia pars relicta subtilis, cæteris paribus cum facilius sit mobilis amplius stimulabit, & citius mouebitur, & sic continuè anticipando procedit.

Anticipationis, & postpositionis febris, quæ sit causa.

Et ita dicendum est de materia calida re-

respectu frigidæ. Quia si materia frigida primo putrefit, paroxismi anticipabunt, & è contra si calida, &c. Vniuersaliter tandem docent Medici, quod anticipatio febris denotat materiam febrilem concoctam, & per consequens magis & prius mobilem, & parum durabilem, & sic est bonum signum. Quando vero postponit, vel variat; denotat hoc prouenire ex humoribus, qui duriores, grassiores, & condensiores sunt, & magis frigidi, qui non ita de facili mouentur. & sic febris plus durat.

De febre pestilenti, & peste. Caput 23.

Febris pestilens definiri potest, quod sit calor accensus in corde, & diffusus per vniuersum corpus ab vno, vel pluribus, vel omnibus humoribus putrescentibus, intra venas continue, maligne, & contagiose.

Pestilentialis febris sæpe tertianarum ordinem tenet, corrupta scilicet bile. Sæpe quartanarum, corrupta melancholia: quotidianarum, corrupta pituita; & sijnocarum, corruptis indifferenter humoribus omnibus. Prima conditio pestilentiæ est malignitas. Malignum autem dicitur à Galeno,

quod

quod vitæ periculum inducit. In quibusdam enim febribus maxima est fraudulentia, quod dum mites esse videntur læthalia nocumenta apportant.

Seneca causas luculẽtissime explicat, quare post terremotus, & eiusdem terræ aperturas; fiant pestes. Vna est, quia aer diu cobibitus inter latebras terræ corrumpitur, qui post terremotum exiens; necessario aerem inficit. Pestes quando eueniant.

Quod aer diu cobibitus venenosus euadat, facile colligitur ex foueis frumentarijs, vbi visi sunt homines statim interijsse, qui imprudenter aerem illum hauserunt, dum foueæ aperirentur.

Alia causa est, quoniam in cauernis terræ sunt frequentissima stagna, quæ longa quiete, ac desidia corrumpuntur, vbi fiunt terremotus, hiatus venenati, & infecti exeuntes; aerem vitiant. Tertia est multitudo exalationum ignitarum qui latent in terræ speluncis, qui vbi postmodum expirant; aerem vitiant.

Sed notandum hic pestem inuehi multoties propter hominum negligentiam, qui in emundandis vijs, & expurgandis plateis sunt tardiores, vt obseruare licet in quibusdam Ciuitatibus, *in quibus pestis sæpe viget.* Immunditia etiã est causa pestis.

Cibi

Cibi quoque, & potus sui natura faciles ad corruptelam, febrem pestilentem excitant.

Auezoar inter causas externas pestis posuit Deum immortalem, & certe negari non potest, quin Deus, vt in lege veteri habetur, propter peccata hominibus pestem immittat.

Quædam signa pestis. *Inter alia pestis signa, cõnumeratur quando mures, & alia animalia subterranea, terrarum latebras fugiunt, & in superficie apparent. & ratio est, quia hoc faciunt ob quandam venenatam qualitatem, quam intra terram sentiunt, quæ de facili aeri communicatur, ac sic signum pestis est.*

Morbilli varij cum signa sint deterrimæ putredinis, quæ ab aere fit, vel aeri communicatur; pestem indicant.

Aetius aduertit, quod si aer nos ambiens pestilens reddatur, volucrum generis prior interitus erit; si vero ex quauis de terra exhalatione id contingat, quadrupedum animantium prior corruptio fiet. Quod si ex aquarum vitio id contingerit, pisces emori videbuntur. Cæterum si neutrum adfuerit. Iudicari potest ob hominum alimenta, vel contagiosas vestes id morbum accersere. Et quando ros, quæ è cælo descendit, si in pane, vel aliquo alio obsonio, si cani offeratur, eo co-

comesto moriatur signum est pestem adesse.

Aliud signum est, si hominum corpora præter consuetudinem ignauia sint & pigra, quia cum aer pestilens ea ingreditur labefacit vires, vnde docent Medici, quod quando grandis in corde fuerit infectio, vt in febri pestilentiali, natura perterrita, in nullo tentat insurgere contra morbum, sed corpus velut in sanitate gubernare conatur. Et ideo vrina sæpe apparet bona, & pulsus bonus, & infirmus velociter moritur. Galenus docet, quod cum partes corporis solidiores, ignitiores euadunt, febres hethicas nominamus. Notandũ, & sciendum. De febre ethica.

Inter causas febris ethicæ connumerantur errores medicorum, qui victum nimis tenuem instituunt, aut aquam frigidam in inflãmatione diaphragmatis prohibent, &c. Et quando proueniat ex culpa Medicorum.

In curatione hecticæ victus sit humidus, & frigidus; qualis est ptisana hordei, carnes caponum, oua sorbilia, caseus recens, &c. Potus sit aqua hordeacea, vel vinum album. Absint motus, vigiliæ, superflua repletio, & ieiunium. De cibis pro cura ethicæ.

Hectica in principio est difficilis cognitionis, quia parum, vel nihil à sua naturali dispositione corpus permutatur, sed est facilis curationis, quoniam virtutis robur vehementer tollerat refrigerationem: Ethica quãdo incurabilis.

at

at cum exquisite consistit, non modo eam curare est difficile, sed etiam impossibile, dicit Galenus, tum ob nimiam consumptionem, tum ob eorum imbecillimam virtutem.

De hora, & modo cibandi febricitantem. Cap. 24.

ACcidentium febris quædam sunt ei essentialia, vt dolor, inquietudo, rigor, & huiusmodi, & in his à cibo est abstinendum. Malum etenim est nimium, cum ægrum in dolore, aut morbi acumine positum, ius, aut cibum accipere permittitur, etiam si deficere videatur infirmus. Quia illa defectio est per aggrauationem, & non per resolutionem, quæ dicitur vera defectio. Quædam extrinseca, vt quæcunque euacuatio cursum naturæ transgrediens, vt est per sudorem, aut secessum, aut vomitum, & super omnia per fluxum sanguinis narium, & in his, quia accidens prosternit virtutem naturalem, vitalem, & etiam animalem ratione resolutionis; dandus est cibus.

Quæ sit cõuenientior hora ad cibãdũ infirmum. *Hora igitur declinationis est ceteris conuenientior ad cibandum, & bora principij de-*

deterior. Nam nocumentum ex principio ceteris temporibus communicatur, & si tunc dabitur cibus, natura occupabitur in digerendo eum, & probibebitur à digestione humoris, & eius expulsione: & sic ægritudo prolungabitur, & confirmabitur. Principium & status ergo sunt horæ nequiores paroxismi ad cibandum. Attamen corpora cholerica oportet in principio cibare, alias accidit dolor stomachi, capitis sincopa, & huiusmodi. Et etiam necesse est in principio febris cibare eos, qui patiuntur ephemeram ex labore, & angustia.

Item quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est, quia crassiorem natura concoquere non posset, quæ à morbo, & à victu deuicta; decumberet, & si à morbo, cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento vti significatur.

Aphor. 10. dicit Hippocrates. Non pura corpora quanto plus nutris, tanto magis lædis. Tamen quæ infirmus anxie expetit, concedenda sunt, etiam si non ita accomodata videantur. Idem enim Hippocrates sic scriptum reliquit. Paulo deterior cibus & potus, verum iucundior; melioribus quidem, sed iniucundioribus præferendus est. Quam sententiam exponens

Galenus, quaecunque, inquit, cum voluptate assumuntur, ista ventriculus arctius amplexatur, & facilius concoquit. Quae displicent refugit, vnde nausea, & vomitus.

De potu aquæ, & vini in febribus. Cap. 25.

IN febribus de materia frigida, stante digestione, secure potest dari vinum. Item & in principio putridarum phlegmaticarum, quia non timetur ex eo inflammatio, & faciet quandam suauem calefactionem digerentem materias frigidas, & dilatantem poros.

Quibus nomen facilius posit concedi. *Item in partibus Italiæ, & alibi, vbi sic est consuetum bibere vinum à principio natiuitatis vsque ad finem vitæ, liberius concedi potest. Vnde non est sic coarctandum vinum apud nos nostris febricitantibus, vt faciunt Arabes siue Saraceni, qui non sunt ita vino assueti. & ideo præcepta eorum non sunt sic stricte obseruanda, vt quidam austeri obseruant Medici. Vnde Hippocrates 2. Aphoris. Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint, insuetis minus molestare solent.*

Cõsueta minus molesta.

Et

Et ideo ea præcepta, quæ nobis Saraceni tradiderunt, vt Auicennas, nequaquam ad vsum nostrum contrahi debent. Hippocrates tamen ipse docet, quod si cum febre capitis dolor, vel delirium adfuerit, omnino à vino se abstineat eger, & loco vini, vinum acquosum offeratur. Vinum enim præpotens, & vinosum, vehementer calefacit, & exiccat, ea propterea in febribus, & morbis acutis nullo modo confert.

Quando à vino omnino sit abstinendum.

Febre existente intensa de materia cholerica, secure datur aqua frigida, neque est alia melior. Quia ex inflammatione febris timetur corporis arefactio, & tandem mors. Ideo melius est exhibere quam non, & permittere quod apostema aliqualiter augeatur & materia incrudetur quam quod corpus moriatur. Vnde in febribus arsiuis, multæ inflammationis, virtute consentiente, debet exhiberi magna quantitas aquæ frigidæ in vna vice, & non pauca sæpe. Quoniam per exhibitionẽ ipsius in multa quantitate, iuuatur natura ad expellendum eradicatiuè subito materiam ipsam per fluxum, sudorem, viam vrinæ, aut per vomitum, & extinguitur calor præter naturam. Pauca autem pluries exhibita, inflammatur & ad naturam choleræ conuertitur.

Aqua quãdo prosit in febribus.

Quæ aqua omni vitio carere debet, per-

spectio etiam ne aliquod impedimentum adsit, vt puta ætas senilis, pectoris angustia, & natiui caloris imbecillitas, & similia. & hora, qua æger mitius se habet, debet dari.

Quando in febre arsiua æger multum desiderat aquam frigidam, si medicus eam pati fecerit fiet digestio mala, propter nimietatem combustionis, & tunc exhibitio aquæ frigidæ non valebit. Melius est, vt conuertatur febris in febrem lentam, & longam, quæ curari possit, quam quod æger subito moriatur.

In quartana quale vinũ conferat.

In quartana conuenit vinum album, tenue, in vigore medium: quod habet linfari secundum exigentiam potentiæ infirmi, ætatem, consuetudinem, tempus anni, & huiusmodi. Aqua cruda non competit, quia materia quartanæ magis induraretur, cum sit humor frigidus, & siccus compactus, & sic ægritudo prolongaretur.

Aqua cocta quare sanior.

Decoctio aquæ partes vehementer rarificat, donec subtilioris substantiæ fiat, vt ab ea separari possint partes graues, atque terrestres, unde remanet aqua pura, simplici propinqua: & ideo sanior efficitur pro infirmis.

De

De Cibis, & fructibus etiam pro febricitantibus. Cap. 26.

QVando cum domesticis, & virtuti familiaribus succurrere poteris tuis infirmis, nunquam ad siluestria procedas, vt quidam austeri faciunt Medicorum, & aduerte, quod austeritas in nimia cibi subtiliatione, non raro est causa conuersionis putridarum in ethicam. Notandum.

Poma dulcia, & saporosa, bene matura & cocta, attenso magno appetitu ad ea, in febribus etiam putridis dari possunt. Quia tunc stomachus ipsa bene complectitur, & auide, & bene digerit, & eius malitiam sic magna sui ex parte corrigit.

Poma, & pira cocta cum aniso, & cum Zacchara, vel Zucchara corrigenda sunt, sic enim ponderositate sua ad fundum stomachi cibum impellunt, & ipsius os propria frigiditate condensant, & fetori, qui ab ipso stomacho prouenit mirabiliter resistunt.

Persica debent ante eorum commestionem per duos dies saltem ad solem dimitti, Persica quando possint concedi.

ut eorum superflua humiditas resoluatur ratione cuius de facili recipiunt putrefactionem. Aliqui in feruenti aqua ea prius irrorizant.

Frigida acetosa quare sint suffocatiua.

Frigida acetosa constringunt, unde vapores ad intra clauduntur, & ingrossantur, & probibetur eorum debita expulsio, & sic patiens periculũ incurrit suffocationis.

De somno, & vigilia.
Cap. 27.

SVpposita diffinitione somni, Infantibus propter eleuationem multorum vaporum ad caput, accidit profunditas somni. Quod intelligendum est de omnibus etiam his, qui sunt in ætate adolescentiæ, propter ipsos abundare multa humiditate.

Sonnolentia quomodo expellatur.

Somnolentia euenit eleuatis ad cerebrum copiosis vaporibus, ibique refrigeratis. Curatur excitantibus vaporesque discutientibus, ut clamoribus, digitis pedum, ac manum ligatis, aut contorctis, &c. Item somnus remouetur cum aceto calido naribus admoto, vel in angulis oculorum posito, & cum lotionibus.

Qui multum dormiant.

Habentes capita grossa, & gracilia colla, ut dicit Phil. multum dormiunt, quia cum

cum amplior ſit in eis locus cerebri, multum ibi capitur, multuſque vapor ibi coagulatur, qui cum tam cito non poſſint deſcendere, multum durat ligamentum ſenſuum.

Euenit deſiderium dormiendi laborantibus, non quando actualiter laborant, ſed ceſſantibus eis à labore: eo quod dum actualiter laborant, fumi aſcendentes à ſtomacho ad cerebrum, ſunt valde calidi, & ſubtiles, ideo ſunt magis apti ad exalandum per poros apertos in labore, quam ad occupandum cerebrum, cum autem ceſſamus à labore, infrigidantur partes exteriores, & clauduntur pori, & non poßunt fumi euaporare, ideo tendunt omnes ad cerebrum, & manent ibi, vnde fiunt groſſiores, & conſequenter poßunt magis oppilare cerebrum, & ligare, ita vt non deriuetur ab eo virtus ad partes ſenſitiuas, & ſomnum cauſare. Et quando magis.

Nonnulli vbi ſe ſomno tradiderint confeſtim ſudant. Quia calor intro euocatos per ſomnum, humores diffuſi per cutim elabuntur, & id maxime accidit ſi corpus excrementis repletum fuerit. Ex quo prouenit ſudor in ſomno.

Vnde Hippocrates. ſudor multus abſq; cauſa manifeſta, corpus vti pluri cibo ſignificat, ſi vero cibum non accipienti hoc accidat; ſcire oportet, quod corpus euacuatione indiget. Et quid ſignificet.

Qui somnum egrè capescunt.

Qui se multo, ac præsertim vario cibo ingurgitant, somnum egre capescunt. Quia vt ignis congestu lignorum obruitur, & suffocatur; sic calor à copia, & varietate ciborum tarde concoquit, & sic tarda oritur euaporatio.

De Vigilia.

Proprie causa vigiliæ est quicquid exagitat nimis spiritum animalem, vt ira, corporis dolores vehementes, magna caliditas, aut siccitas cerebri: & abundantia acrium humorum.

Ad conciliandum somnum, nares, & tempora oleo violaceo iniungantur.

Quos in somnia teneant.

Melancholicos, & vehementer æstuantes insomnia tenent. Alteros quia refrigeratus humor penitus est. Alteros, quia nullus est, aut certe minimus.

De somno meridiano.

Schola Salernitana docet, quod somnus meridianus est causa febris, quia acres, & fumosæ exalationes, quæ vigilijs dispergi solent, somno diurno non modo retinentur, sed etiam augentur: ijs itaq; retentis, at vna cum spiritibus permixtis, contingit vt calor inde extraneus collectus, febrilis fiat.

Somnus quando noceat.

Cum humores sint in corpore, qui eijci postulant, vt in laborantibus tussi, & grauedine, nocebit somnus, & debilitabitur calor à materia retenta. Ceterum somnus est vita senum, recreat enim vires, lassos eri-

erigit, corpus impinguat, coctiones adiuuat, hilaritatem, & gaudium præstat.

Et pigrities ex eodem fonte manat. Grossi namque, & vaporosi spiritus plus æquo cerebrum humectant, eo autem humectato; nerui quoque qui à cerebro propagati, per corporis partes se diffundunt, plurima humiditate replentur, vnde pigritia sequitur. Somnus tamen meridianus conceditur, vt docent alij Medici, si vsitatus sit, & consuetus, & cum antea nox fuerit insomnis, & incommodè transacta. Qui metiendus est pro natura, & etiam pro copia cibi assumpti. Nam certa regula præscribi nequit. De pigritie.

In æstate, sotularibus & caligis omnino remotis est dormiendum. Nam si hæc retineantur, fumi reflectuntur ad totum, propter quod turbatur corpus, & impeditur persæpe digestio. Et sicuti à cœna non statim confugiendum est ad libros, nisi forte historia sit legenda, vel aliquid iucundum, & cognitu facile; vnde spiritus non auocentur & concoctio impediatur, ita non nisi post saltem vnam horam somnus est admittendus: ac tunc aut stando, aut domi leniter deambulando; de iucundis rebus, ac gratis est colloquendum. Quomodo sit dormiendum.

Maior pars Medicorum tenet, quod prius sit dormiendum super latus dexterum, nam Et quo ordine.

melius cibus ad fundum stomachi pellitur, cum magis versus dextrum latus declinet. Et nota, quod epar existit sub stomacho veluti ignis sub lebete. Cumque digestio fuerit quasi finita, super latere sinistro debet qui dormit iacere. Nam tunc chilus tanta caloris intensione non indiget, & potius tunc sub latere dextro in fumositates conuerteretur, sicuti in stomacho calido de re facilis digestionis contingit. Post expergefactionem resupine iacere laudatur. Quia membra omnia melius quiescunt.

Peruigilium vnde caufetur. Quare vox asperior reddatur.

Peruigilium fit calefacto, & exiccato cerebro. Et quia peruigilium est coctionis ciborum impedimentum; hinc vigilanti vox asperior redditur ex cruditatibus, quæ à capite distillant.

De somno, & vigilia.

Cum somnus per oppilationem viarum primi ventriculi cerebri fiat, cuius potissima causa est frigiditas & humiditas, oppositam sibi vigiliam per deoppilationem viarum illarum, aut apertionem necesse est fieri. Et huius causa generalis existit siccitas, atque caliditas, potior tamen est caliditas: quia spiritus igniendo; mobiles valde eos efficit.

De cubitu supino.

Supinus cubitus est vitandus, ne peccans humor in posteriorem partem, & dorsalem medullam deferatur. Ea enim pars

quum

quum manifesto careat meatu, quo materia excernatur; periculum est ne ad neruos penetrans, conuulsionem, aut paralysim generet.

Somnus tandem concoctionem adiuuat, & cerebrum roborat, & vaporum resolutionem perficit.

De fame, siti, & inappetentia. Cap. 28.

ARistoteles 2. de anima docet, quod fames est appetitus calidi, & sicci. Sitis, frigidi & humidi. Per siccum oportet intelligere solidum, per humidum, liquidum.

Medicorum quidam volunt, habentem appetitum corruptum, appetere similia; alij vero contraria. Dicunt namq; primi, quod si tales appetunt sicca, humor siccus erit in causa, scilicet melancholicus. Si appetunt acetosa, acetosum phlegma, vel melancholia acris, siue acetosa, &c. At Auicennas dicit, quod si stomachus pinguia desiderat, illic est ei stipticitas, & siccitas. Si natura declinat ad frigida, tunc illic est caliditas. Et si appetit res calidas, tunc illic est frigiditas. Et si appetit incisiua, acetosa, tunc illic est humor viscosus. De appetitu corrupto.

Quod

Quod autem aliqui appetunt fetida, prouenire potest, quia in eis quædam qualitas virtualis continetur contraria humori corrupto existenti in corpore.

De ventriculo.

Frigiditatis ventriculi causa interna est materia melancholica, materia pituitosa, materia flatulenta. Nam hæ materiæ sua frigiditate reddere possunt ventriculum frigidum. Externa causa esse potest frigidus cibus, frigidus potus, frigida medicamenta.

Siccitatis ventriculi causa interna est hepar, dum calore suo immodico sanguinem consumit. Externa causa est dicta, sunt cibi conditi aromatibus, cibi salati, agrumina, & similia. Causa humiditatis, copiosioris est sanguinis copia peccans, pituita humidior, & similia. Externa, vt cibi humidiores, fructus, potus aqua &c. & eius in temperies calida indicatur. Si noceant tantum calida, & si frigida iuuant.

Quæ faciunt sitim.

Res grossæ & viscosæ faciunt sitim, quia natura quærit ipsos expellere lotione, incisione, & subtiliatione, ad quæ peragenda quærit potum in auxilium.

Sitis ablatio quando malum signum.

Subita sitis ablatio sine manifesta causa in febricitante, pessima est: Quia significat virtutis sensibilis mortificationem.

Modo dicendum est de inappetentia, quæ

ex

ex multis causis generatur, aut quia corpus non euacuatur, nec vlla sit resolutio; aut quia omnium operationum instrumentum, nempe calor laditur, vel quia peccatur in cibis, quantitate, qualitate, aut condimento. In febribus inappetentia fit ore ventriculi repleto, & conspurcato humiditatibus excrementitijs, vaporosis scilicet, vel humoralibus. Inappetẽtia vnde oriatur

Plerique cibos concoctu faciles non concoquunt, concoctu vero difficiles valenter concoquunt. Nam qui calore abundant naturali per coctionem eos adurunt, eo quia egens sproportionatum est passo. At vero concoctu difficiles concoquunt, eo quia calor vegetus correspondet passo.

Aliqui priusquam cibos edant, non appetunt, quamprimum autem edere incipiunt, statim appetunt. Et ex aduerso alij priusquam edant, appetunt, vbi vero edere incipiunt, statim appetitus sedatur. Auicennas dicit hoc prouenire, quia per cibos nouiter ingestos, abstergitur materia illa, qua in tunicis ventriculi continebatur causa inappetentiæ, & sic appetitus insurgit. Et quia ab ingesto cibo attractrix facultas ventriculi excitatur ad operam. Contra autem contingit, vt appetitus qui prius aderat destruatur, vel Appetitus varietas quoad tempus.

quia

quia ex cibo ingesto vapores eleuantur, qui os ventriculi inficientes appetitum destruunt, vel quia cibi præcipitati in fundum ventriculi, humores tetros ibi existentes, sursum attolli faciunt, & appetitum prosternunt. Quanquam etiam potest idipsum euenire propter qualitates ipsorum ciborum, vt si cibi naturæ aduersæ sumantur.

Fastidium ciborum vnde

Menstruata cibos fastidit, quia natura mulieris tempore menstruorum magis ad expulsionem laborat, quam digestioni vacet, ideo ne inconcoctus remaneat cibus, prouida cum sit; illud non admittit.

Vnde pediculi.

Maturæ ficus admodum nutriunt, quia dulcia naturæ sanguinis nostri, & carnis proxime congruunt, carnem tamen non compactam, nec firmam generant, vt panis, & suilla, sed sublaxam, vt fabæ. Et quia sanguinem non admodum probrum gignunt; hinc fit, vt ipsarum vsu, pediculorum multitudo proueniat.

Cõtra nauseã marinam quid profit.

Pro terminatione huius capitis notandum est ex schola, quod contra nauseam marinam prodest panis assatus, si ex vino aquoso, & odorato maceratus ingeratur, & omnia poma, quæ os ventriculi corroborant, & humorem sursum repentem, deorsum reuellunt, & per ventrem euacuant,

cuant, fluentemque stomachum sistunt. Tamen vomitionibus primum aborientibus nec facile, nec vtiliter resistitur, quia omnino magna ex parte præsidio esse soleant contra magnas, & vehementes ægritudines.

De appetitu canino, & Bolismo. Caput 29.

Appetitus caninus, vel fames canina est ægritudo comedendi, cuius non satiatur mens; & qui hoc morbo laborant, immoderate appetentes, tantum sæpe sumunt, quod digerere nequeunt, vt canes: vnde per vomitum, aut secessum eum emittere necesse est. Quo emisso iterum comedere appetunt.

Item appetitus caninus excitatur multoties ex debilitate etiam retentiuæ in corpore, & à vermibus cibum assumptum deuorantibus. De appetitu caniuo.

Et causæ primitiuæ bolismi sunt motus per loca neuosa, & frigida, vel mala ventriculi intemperies, vel frigiditas virtutem attractoriam, & sensibilem mortificans, &c. Cum morbus sit à frigore exteriori, prodest sumere panem infusum Et Bolismo.

in

in vino odorifero. Frigiditas interior erit vel ab acri pituita, vel à melancholia. Si fiat à pituita, vtendum est his, quæ incidunt, ac abstergunt, & desiccant, vt sunt dulcia, & salsa. Prosunt etiam calida pinguia, sicut butyrum, cum brodijs pinguibus, &c.

Vnde oriatur talis appetitus. *Causa appetitus canini plures sunt. Prima est membrorum superflua resolutio, propter quam membra inanita à venis continue attrahunt, venæ ab hepate; hepar à stomacho; & per istos continue motus causatur huiusmodi appetitus. Et quando appetentibus continuè cibus afferatur, ex ipso tamen non nutriuntur. vt inquit Galenus. Quia non transglutitis, sed bene digestis nutritur corpus.* Corpus que nutriatur.

Talis membrorum resolutionis causa esse potest intrinseca, & extrinseca, vt euacuationes superfluæ; sudores superflui; superfluus fluxus ventris; & stomachi; aut totius contentiuæ debilitas.

Item Bolismus, bonis fames interpretatur, & Aristoteles docet, homines in frigiditate & hieme plus bolismum pati, quam in æstate, cuius causam esse dicit frigiditatem, quæ diminutam efficiens caliditatem, non potest tantum cibum immutare, quod membris sufficiat. At hoc est intelligendum in

cor-

corporibus debilis caloris , quia in robustis , ventres hieme calidissimi sunt , & natura de cibo plus immutat quam in æstate.

Bolismus est fames immoderata membrorum cum appetitus cessatione . Membra enim inanita , & nutrimento carentia , à venis sugunt , venæ autem à stomacho : stomachus autem inanitionem non percipit , vel si percipit ; ita debiliter , quod vno bolo satiatur . Nam vbi os stomachi stupidum fuerit , suam inanitionem plus non percipit , quam si esset satiatus , licet sit inanitus. Quid propriè sit Bolismus

Et Intensa membrorum , aut stomachi caliditas , famis sincopalis causa esse potest . Nam propter ipsam velox fit virtutis resolutio , & nisi statim cibus offeratur , quo virtus ipsa refocilletur , & caliditas illa aliqualiter remittatur , grande nocumentum præsentit , & illud cordi communicans ; sincopim inducit . Fames sincopalis vnde proueniat .

De Singultu , & sincopi . Caput 30.

Virtus naturalis stomachi expulsiua , aliquod nocumentum sentiens , vt illud expellat naturaliter insurgit , vnde propter violentiam ipsius oris stomachi fit quæ-

dam commotio, & quidam causatur sonus, qui singultus dicitur, stomachus enim nocumentum sentiens, in se contrahitur, & vt nocumentum à se expellat, se dilatat. Et sic patet, quod in singultu duo sunt motus, contractiuus, & dilatatiuus. Quando in stomachi villis, seu poris, infixa atque retenta frigiditas fuerit, si sensibile nocumẽtum effecerit, natura ad ipsum expellendum naturaliter insurgit, & singultum causat.

Caliditas quoq; superflua singultus causa esse potest. Cibi quoque mordicati ui, & maxime si post talium assumptionem boni vini parum bibatur, quia talia eos in stomachi substantiam infigit, & inuiscat. Vnde propter sensibilitatem ipsius, quia neruosus, facile laditur, & singultum efficit. Et generaliter quando nerui stomachi calore, vel frigore, inanitione, vel repletione conturbantur, fundus stomachi eleuatur, aerque exire compulsus, alteri aeri obuians; sonus, qui singultus dicitur, generatur.

Contra singultum. *Valet contra singultum prouocata sternutatio, & subiti timoris incussio.*

Sincopis quid sit. *Syncopis animi deliquium est, contingens propter humores, vel vapores maligne inuadentes cor.*

De sincopi. *Item syncopi prosunt irroratio faciei cũ aqua*

aqua rosacea, acetoque mixta, vel cum aqua frigida; vel vino: vinum oua sorbilia, brodium carnis, & similia: Confricatio extremitatum, cum prouocatione sternutationis facta cum acri aceto.

Item & nisi cito succurratur; celere periculum imminet. Prouidetur ei mica panis calidi, in vino optimo intincta, & exhibita, vel odorata. Remedium pro sincopi.

Syncopis est absolutè cordis defectio, vel subito virtutis vitalis defectio, & prouenit à debilitate cordis, & aggregatione totius spiritus ad ipsum, prosocante cum interius, quare non inuenit spiraculum.

Pro ipsa syncopi in principio euentus paroxismi, instare poteris, & debes cum fricationibus, & alijs diuersionibus: & si syncopis proueniat à cholera subtili putrefacta, ac de venenositate participante, motus omnino vitetur, & quies pro posse introducatur, neque fricationes huic conueniunt, quod si fiant, sint leues in manibus, & pedibus, ad introductionem somnij. Fricationes enim fortes inflammant, & diuertunt calorem, & principium vitæ sic derelinquitur. In principio sincopi quid agendum.

Si videris infirmum deficere subtilitate spirituum, & humorum, qui resoluuntur à caliditate febrili; tunc stude ingros-

sationi ipsorum, cum refrigerantibus, aut flabellando, irrorando eum cum aqua, applicando testiculis refrigerantia, & circa pudibunda mulieris, vt aquam rosaceam acetum, &c.

De dolore pectoris, lumborum, & cordis palpitatione. Cap. 31.

CVm pars subtilior, & tenuior catharri peruenit ad aliquas venas, venæ distenduntur, & sic causatur dolor. Postea cum sequitur fluxus, cessat dolor, quia tunc natura transmittit excrementa ad loca consueta.

De dolore lumborum.

Dolent lumbi contracta intemperie calida, ab humoribus putrescentibus, vel vaporibus. Curatur refrigerantibus foris applicandis, & clystere immittendo.

Applicantur foris vnguentum rosaceum, oleum rosatum, lac caprinum, aqua rosacea, & similia.

De palpitatione cordi.

Palpitatio cordis fit, dum causa morbifica cordi occurrens, ita agit, vt cor motu prauo afficiatur, & præter naturæ leges, eleuetur ac deprimatur, & causa efficiens pal-

palpitationem nihil aliud est, quam flatus, seu materia flatulenta frigida, siue sit in corde, siue extra, vt Galenus docet in de palpitatione.

Conferunt cordi inter alia, aurum, borago, acetosa, persica, vinum, & oua: Zuccharum rosaceum, electuarium de citro, & pira condita, & similia. Quæ conferant cordi.

De fricationibus, & sudore. Cap. 32.

De sudore hæc consideranda sunt, vtrū sit calidus aut frigidus, multus an paucus; per vniuersum corpus, an circa partes quasdam, semper fluens, an intermittens. Nam si sudor sit calidus, denuntiat humorem à natura superatum; ac paucum esse. Frigidus è contra.

Aristoteles docet propterea medicos iudicare prauos sudores in febribus, frigidos; quoniam signum est tantam esse materiam; quæ cum non possit à febre calefieri, minime quoque concoqui, ac superari potest. Cur sudores frigidi praui

Si vero, & calidus, & multus sit; naturam validiorem significat: qua cumctam expellit materiam, è contra frigidus. Si

autem & calidus, & multus, & semper effluat, copiosos esse humores victos declarat, sed non omnino excludi posse, aut virium imbecillitate, aut alio impedimento. Quare corpus indiget auxilio medici: qui onus auferat, & humorem expellat. Si autem frigidus sit & multus, & continuo affluit, & virium languorem, & humoris abundantiam, & contumaciam indicat.

Sudor si restringendus.

Sudor veniens in principio febrium, non est constringendus, multitudinem enim materiæ significat. Et quoniam caliditas vehemens calefacit, & subtiliat humores, & poros rarefacit, contentiua deficit, & non potest continere quin fluant, & quia cum vaporibus malis ad cutim veniunt etiam & boni, propter defectum contentiuæ, vnde euacuantur spiritus, & boni humores, ideo corpus debilitatur.

Vnde debilitas proueniat.

Sæpe natura malos humores expellit ad superficiem corporis, ut mundificet interiora, qui si sint subtiles, & liquidi nimium, dissoluuntur de cute, cum sudore, & fumo; si grossi sint, permanent sub cute, & scabiem faciunt. Si mediocres, pruriginem generant. Prurigo illis maxime fit, qui non lauantur eisq. sordes in corpore multiplicantur, sed de scabie, & pruritu habetur caput particulare inferius. Circa fricatio-

Scabies, & prurigo vnde eueniant.

nes

nes nota, quod primo crura, & coxe fricandæ sunt, trahendo ad inferiora, causa melioris diuersionis, postea transeundum est ad brachia, & manus, incipiendo à spatulis, trahendo versus manus: non trahendo deorsum, ne materia versus cor trahatur, & versus os stomachi, sed fiat fricatio lateralis versus brachia, &c. Fricationes quo ordine, & modo faciendæ.

Vbi foret multa humiditas, non competeret fricatio, quia eliquaret, & non resolueret. Quibus non cōferunt fricationes.

Qui è domo egredi non potest, vtatur fricationibus antequam à lecto surgat, cum panno non multum aspero, &c.

Pedes abstergendi tam vesperi, quam mane, sicciore linteo, vel spongia; & lauandi non raro, singulis saltem quatuordecim diebus aqua salsa, in coctis rosis, & id genus similibus. De lotione pedum.

Et tandem nō erit inutile notare secundum quosdam Medicos, quod sudor, qui singulis noctibus prodit, non aliunde fit, quam ex sanguine nutritioni inepto, quem natura tamquam minus idoneum nutrimentum expellit, idq. in nocte, cum ob natiui caloris ad interiores partes reditum, actiones suas perfectius absoluit. Sudor interdum à sanguine. De alimētū.

De dolore ſtomachi, & apoſtematibus eius. Cap. 33.

QVid ſit dolor in genere, iam ſuperius dictum eſt. Hic remanet notandum, quod cauſa doloris aut eſt calida, acutã, & ſubtilis, & ſic facit pungitiuum dolorẽ, vt humor cholericus, aut ſalſus, aut ſanguis corruptus, aut vermes ſuis aculeis pungentes; aut ventoſitas in aliquo paruo loco incluſa, &c. Sed grauatiui cauſa eſt materia frigida, groſſa, viſcoſa in inteſtinis aggregata, ſicut humor phlegmaticus, aut ſanguis congelatus, aut melancholia, quæ de ſe dolorem talem faciunt, intenſiuum, extenſiuum, aut perforatiuum, ſi in aliquo loco concluduntur.

De ſtomaco. *Stomachi malam complexionem frigidam aut humidam ſignificant paucitas ſitis, eructatio acris, aut inſipida, & conſtans appetitus ad cibum.*

Cauſa cholicæ. *Fex autem retenta eſt cauſa cholicæ. Item frigiditas poteſt facere dolorem, debilitando expulſiuam tum muſculorum ventris, quam inteſtinorum aut oppilando poros. Item frigiditas impreſſa in ſiteri, ſicut accidit ſedentibus in terra, aut ſu-*

super lapides. Unde constringitur siteris, & expelluntur feces sursum, & retinetur urina: & propter hoc multiplicatur cholica in regionibus frigidis, & temporibus frigidis, & flantibus ventis frigidis.

Ventositas stomachi corpulentiam extendens, continui solutionem efficit, & perconsequens dolorem extensiuum.

In cholica est fortis retentio fecum & ventositatum, & cum educuntur, subito dolor sedatur. Dolor cholicæ quomodo sedatur.

Aliqui post somnum incurrũt dolorẽ stomachi, cuius causa est materia catharralis descendens ad stomachum in somno.

Causa quare interdum sumpto cibo dolor recedit, est, quia cum cholera, vel phlegma salsum, vel alius mordicatiuus humor ad stomachum, siue ad os eius tempore euacuitatis propellitur, sumpto cibo sedatur. Quia contingit, quod cibus sua qualitate humoribus illis contrarietur, aut quia in illis materiebus commisceetur, cuius causa mordicatio illa remittitur. Vel quia sumpto cibo, huiusmodi humores ad fundum stomachi propelluntur, & sic pro tunc stomacho nocumentum nullum inferunt. At quia ex magna cena stomacho fit magna pœna, ideo vt sis nocte leuis sit tibi cena breuis. Iuxta tamen corporum diuersitatem maior,

mi-

minorq. cibi copia exhibenda est.

An vberius prandendū. vel cenandū.

Itē corpora aut fatigantur exercitio laborioso vehementi, & continuo, aut non. Siquidem fatigantur, vt sunt eorum, qui victum manibus quærunt, istis largius prandere, quam cenare conuenit. Expetitur enim alimentum non tantum, vt nutriat, sed etiam humectet, & irriget membra, ne arefiant ex forti motu, & vt resolutioni ex caloris incendio prouenienti resistat. Eiusmodi enim corpora propterea, quod ita consueuerint, ob exercitium à concoctionis opere non cessant. Alijs vero, qui continue vehementi exercitio non agitantur, vel debili tantum vtuntur labore, qui vtique superfluitatum copiam parit, his largiori vti cena quam prandio indulgendum est, licet in die superfluitates melius quam in nocte expellantur propter poros apertos & quia coctio diurna duplex habet calidum, internum scilicet naturæ, & externum solis.

Consuetudo attendenda.

Hippocrates aphor. 50. ait Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint, insuetis minus molestare solent. Hinc Damascenus scriptum reliquit, Mutare consuetudinem, præsertim veterem, & nouum & pestilentissimum habetur, & Galenus: Quod consuetum est, bonum est: inconsuetum vero malum est. Quare malas, & prauas

uas

uas consuetudines corrigere oportet, sed paulatim, ac sensim ad meliora transferre. Vnde in exhibitione copiosioris, aut minoris cibi in prandio quam cena; non nihil etiam dandum est consuetudini. Hæc enim tum in tuenda sanitate, tum etiam in profligandis ægritudinibus plurimum valet.

Apostematum stomachi quoddam est compositum, quoddam simplex. Simplex ex humore simplici generatur, quia à sanguine, cholera, vel phlegmate, vel melancholia, compositum verò, ex istorum humorum commixtione. Iterum apostematum quoddam est calidum, quoddam frigidum, quoddam humidum, & quoddam siccum siue durum, & calidorum quoddam per essentiam, vt sanguineum, cholericum, & quoddam per accidens, vt phlegma, & melancholia putrefacta per accidens est calida. Pariter apostema essentialiter calidum potest fieri per accidens frigidum: resolutis scilicet partibus subtilibus calidis; terrestribus remanentibus, grossis. **Apostema multiplex.**

Apostematum causæ possunt esse intrinsecæ, & extrinsecæ. Intrinsecæ, si stomachus fuerit valde calidus, quia ratione caliditatis ad se materias facile trahet, quæ postea congestæ; apostema stomachi faciunt. Item dolores cum prolunguntur. **Apostematũ causæ.**

Quia

Quia natura intendens dolori succurrere, spirituum, & sanguinis multitudinem ad locum dolentem transmittit, & sic materia ibidem congesta; generatur apostbema.

De Colica passione. Cap. 34.

Colica passio, quæ grauis quidem, ac vehementissimi doloris morbus est, perinde ac si terebro partes perforentur, aut palus infixus sit, molestare solet, & prouenit ex flatuoso, & frigido spiritu in intestinis retento, è quibus quia densi, grassi, & neruosi; egredi nequit, vt Galenus docet.

Retentio fecis vnde causatur.

Item retentio fecis aliquando fit ex siccitate; siccitas autem fit propter siccitatem ciborum, aut propter paruitatem quantitatis eorum, aut exitus vrinæ multitudine, aut multitudine laboris, aut caliditate ipsius ventris, aut simili de causa.

Vnde multitudo ventositatis.

Fit autem multitudo ventositatis, aut propter cibos inflatiuos multæ quantitatis, aut propter plurimam superfluitatem cibi, aut propter caliditatis ventris debilitatem.

Intestina quantum longa sint.

Intestina sunt adeo longa, vt omnia simul extensa sint communiter nouem cubitorum.

Cho-

Cholon est intestinum grossum, sic dictum, quia multas habet cellulas, in quibus stercora figuram accipiunt. Et ab hoc intestino nomen sumpsit cholica existens, dolor valde intensus, qui frequenter propter duritiem secum generatur. Cholica passio vnde nomen sumpserit.

Dolor quando est in colon, & reliquis intestinis grossis, dicitur cholica passio, quando est in ileon, quod est intestinum valde longum, plures habens reuolutiones, & intestinis gracilibus, dicitur ilcos.

Ilcos apud antiquos dicta est Domine miserere, propter mortem crudelem, & obscenam, post multos cruciatus, & vomitum stercorum &c.

Causa ilcos est intestinorum vel obstructio, vel retentricis facultatis fortitudo, & attractricis. Sed frequentius accidit propter vehementiam virtutis retentiuæ, cum gracilia sint magis ordinata ad retentionem quam grossa, sunt enim gracilia strictiora.

Obstructio fit vel à tumore duro, vel ab alio quopiam abscessu, vel ab excrementis siccis, &c. Item cholica frequentius fit à ventositate, phlegmate, stercore sicco, & vermibus, & similibus.

Dolor in gracilibus est intensior quam in grossis, quia sunt magis neruosa, & acutioris sensus. Et dolor iliacus est supra-

um-

vmbelicum, cholicus est infra vmbelicum.

Item signa ilei sunt vltra dolorem supra vmbilicum, vomitus interdum fecum, & vermium, fetor oris, & totius corporis, &c.

Quomodo cognoscatur quod sit dolor cholicus.

Quando dolor augetur ex sumptione cibi, tunc dolor est cholicus, stomachus enim cibo plenus, comprimit intestinum cholon.

Ileus non iuuatur à clysteribus ac suppositorijs sicut cholica. In curatione ileos si venenum sit in causa, danda erit opera, vt vomitus prouocetur propinante calente aliquo iure pingui, demum thiriaca exhibeatur; vel quidpiam aliud, prout species veneni magis requirit.

De stomach: punctionibus

Causa punctionis stomachi sunt cibi acuti, salsi, acetosi, ventositas, &c. Aliquando cholera pungens, & mordicans; phlegma salsum, melancholia adusta, & plegma viscosum in cuius separatione fit dolor. Et tandem excoriatio, vleus, apostema, & vermes. Ventositas cognoscitur per rugitum, & aliquando punctionis mutationem. Item per eructationem, aut exitum ventositatis per inferius, cum quibus punctio alleuiatur. Humor cholericus cognoscitur per caliditatem in loco, sensatam sitim, oris amaritudinem, &c. Phlegma cognoscitur per punctionem cum grauitate, & si egrediatur infe-

fe-

ferius apparet album, & cum hoc sentitur in ano mordicatio, & tenasmon. Phlegma grossum, & viscosum cognoscitur, quia cum educitur apparet in aliqua parte superficiei eius aliquid sanguinis adhærens. Melancholia cognoscitur per colorem eius fuscum cum educitur. Vermes cognoscuntur per signa vermium. Apostema vero per duritiem, febrem, & dolorem continuum.

De Tussi, sternutatione, & respiratione. Cap. 35.

TVssis est motus factus à pulmone ad excernenda excrementa ipsius pulmonis. Item tussis secundum Galenum est vehementissima pulmonis efflatio, qua plurimus spiritus celerrime foras erumpens impetu suo extendit, exploditq. excrementa, meatus ipsius obstruentia. Vnde tussis est quoddam aggregatum ex duobus motibus, scilicet dilatatione, & constrictione impetuosa pulmonis, & pectoris ad expellendum nociua.

Et cum per tussim violenter erumpat, & reijciatur materia, & orificia venarum capil-

pillarium facile aperiantur ex quibus prodeat sanguis, non est cum magno periculo, quia tenues sunt venæ: facile aperiuntur, & clauduntur. Et quia tussis est pectori sicut sternutatio cerebro; ideo notandum quod in pectore sunt duo panniculi diuidentes ipsum in duo media, quare fiunt in eo duæ concauitates, vel duo ventres, & propter hoc quando aggregatur in vno latere eius saniositas, non transit ad latus alterum, scilicet à latere dextro ad latus sinistrum, vel à latere sinistro ad latus dexterum.

Pectus est diuisus.

Tussis assignantur causæ.

Inter causas tussis sunt vapores acuti, sicut piperis, & similium, qui mordicant pulmonem. Et similiter sapor cibi acuti, acris, aut acetosi valde. Materia quoque contenta in venis pulmonis, sua acuitate, aut multitudine stimulando, facit tussim siccam. Et quandoque tussis siccæ causa est debilitas virtutis expellentis.

Tussis secundum Galenum fit, quoniam aer vi efflatus impellitur à pulmonis expultrice irrita, & adiuta à musculis. Vnde per tussim expelluntur quæ sunt infesta. sicut etiam expelluntur per sternutationem per singultum, &c.

Tussis cum difficultate accidit propter exiccationem pectoris ab humore exiccãte, constringente, &c. Tus-

Tussis cognoscitur prouenire à causa calida, quando est cum asperitate, sicca, & sine sputo: à phlegmate, cum tussi affuerit sputum multum, & non facile potest expui propter grossitiem, & viscositatem suam. Galenus ait Aphor. 15. dominante vento frigido tussim fieri, nam aer frigidus atractus molestans; causa est tussis. Tussis quomodo cognoscatur vnde prouenia.

Ex ferculis pro tussi conueniunt brodium cicerum, vitelli ouorum sorbilium, & carnes teneræ, & vinum dulce. Comestio ficum cum nucibus, abscindit tussim, quæ est antiqua. Pro tussi quæ conueniant.

Puluis sinapis naribus appositus, sternutationem prouocat; & cerebrum à superfluitate phlegmatica mundificat. Sternutatio quid sit.

Sol, & calor qualiscunque, dissoluunt in capite omnia excrementa humida, & colliquant ea. Hinc fit, vt statim ac quis, cui caput humidius est, vel vaporum plenum, in solem prodierit, sternutationem elidit. Et que eius causæ.

Quibusdam etiam defluente in proxime vicinos musculos, humore iu capite fuso, motiones colli voluntariæ impediuntur. Colli motus vnde impediatur.

Sternutamentum est bonum signum, significat enim virtutem robustam, vnde dicit Auicennas, morti proximum non posse sternutare propter virtutis imbecillitatem. Et est vtile, quia caput humidius De sternutatione.

G exic-

exiccat, superuacua expellit, & capitis grauitatem sedat.

Respiratio quid sit. *Respiratio est motus eleuationis, & depositionis pulmonum, procedens à thorace causa vitæ, Galenus docet tria esse organa principalia respirationis, scilicet pulmonem, thoracem, & cor. Pulmo est principale, & dilatatur, & comprimitur, & respiratio fit, vt cordis calor ventilatione seruetur.*

De respiratione. *Auicennas dicit respirationem morbosam fieri posse à causa refrigerante, quia ob hanc generatur, & colligitur ex materia pituitosa, crassa, quæ postea difficilem reddit respirationem. Item à compressione, quæ fit à materia, quæ est circa vertebras thoracis, vel quæ est in pulmone, si repleat pulmonis arterias.*

In genere frequens respiratio facile cognoscitur num fiat ratione ardoris, vel imbecillitatis, vel potius ratione angustiæ. Si ob ardorem; apparet thoracis calor, & faciei rubedo. Si ob imbecillitatem; non adsunt signa ardoris. Si ob angustiam; celeriter, & frequenter dilatatur thorax.

Suffocatio quid sit. *Galenus super Aphor. 34. Hipp. inquit: suffocatio nihil aliud est, præter respirationis defectum: qui quidem respirationis defectus fit propter angustiam, & coarctationem*

nem alicuius ſpiritualium inſtrumentorũ. Deſit etiam reſpiratio propter virtutis mouentis thoracem imbecillitatem, & vitalis principij vehementem refrigerationem, ob anguſtiam vero fit omnino ſtrangulatio. Anguſtia autem fit, vel repleta regione ea, quæ inter thoracem, atque pulmonem eſt; vel pulmonis cauernis, & fiſtulis repletis, vel repleto gutture.

Deus nos liberet ab huiuſmodi morbo.

De Subeth, &c. Cap. 36.

SVbeth eſt ſomnus profundus non naturalis ab ingroßatione ſpirituum: vel forti humorum oppilatione in vijs primi ventriculi cerebri prouenienſ. Cuius cauſa extrinſeca eſt res qualibet ſua frigiditate potens ſpiritus ingroßare.

Ad intra vero, groſſi vapores vndique reſoluti, qui ad caput veniunt, & in anteriori cellula oppilationem cauſant.

Incubus accidit, cum viæ, per quas ſpiritus à corde ad cerebrum deferuntur, & à cerebro ad membra cetera, ab humiditatibus oppilantur quo fit, vt membra debitis ſuis motibus careant. Et tunc cum pectus ad neceſſarias dimenſiones dilatari nequeat, dia-

Incubus quo modo accidat.

diaphragma constringitur, & ab ipso pulmo, à pulmone vero cor. Qua ex causa cor ipsum debite dilatari non potest, & tunc infirmo super se, vt pondus, vel phantasma apparet, quod vulgares dæmonem hominem suffocantem putant. Hoc vt plurimum in somnijs accidit, & his potissime, qui resupine dormiunt.

Et quid sit. *Incubus vero est ægritudo ex grossis vaporibus vias spirituum cordis ad cætera membra oppilantibus proueniens, &c.*

Quantum ad causas; intensa caliditas, vel frigiditas esse potest. Nam frigiditas dormitanti superueniens, & vias spirituum comprimens; incubum efficit. Caliditas vero interdum humores in vaporem conuertit, qui postea vias illas oppilat. Et incubus inducitur. Accidit etiam cum quis super magnam repletionem dormiat. Grandis enim repletio est incubi plerumque causa.

Diaphragma quid sit. *Nam stomachus repletus comprimit diaphragma, scilicet panniculum, cum quo pulmo coniungitur qui est ordinatus ad expellendum, quæ sunt expulsione digna.*

De

De digestione; & euacuatione. Cap. 37.

Digestio, vt docet Galenus, est concocti, ac confecti, & in sanguinem conuersi alimenti, in corporis particulas omnes attractio. Vel aliter est equatio eius, quod digeritur in ordine ad nutritionem. Digestio quid sit.

Quando cibus est superfluus, vt bene digeri non possit, conuertitur ad acetosum, maxime si stomachus sit frigidus. Quando est tam pauca quantitatis vt aduratur, corrumpitur ad fumosum in stomacho calido.

Repletio superflua impedit stomachi digestionem, calorem innatum suffocando, sicut nimia inanitio, ipsum paucificando. Motus quoque laboriosus post cibum, minuit, aut corrumpit digestionem, tum cibum agitando, vt non bene complectatur à stomacho, tum calorem trahendo ad instrumenta motus. Leuis tamen deambulatio iuuat, faciendo cibum ad fundum stomachi descendere. Quæ digestionem impediant.

Ventositas impedit digestionem, quia non sinit stomachi parietes sufficienter cibo adhærere.

Nocumentum digestionis stomachi est

Vnde prouenia nt quasi omnes ægritudines. *materia fere omnium ægritudinum materialium, propterea dicitur, quod plures interfecit crapula, quam gladius.*

Cum aer nubilosus est, & humidus, spiritus existens in ambitu totius, & sanguis ab aere nubiloso crassescunt, & non fiunt debitæ transpirationes, fiunt malæ concoctiones, fiunt obstructiones, & calor naturalis obtunditur. Vnde simptomata quam plurima causantur.

Coctio in quo cōsistat. *Coctio consistit in hoc, vt separetur, quod vtile est ab excrementoso.*

Experientia constat calorem per se ipsum, post cibi sumptionem, vt eum mutet facilius, & concoquat; in profundum refugere.

Frigefieri post cibum, quale signū. *Quando calor reuocatur ad intra, vt fortius digerat, licet sit bonum per viam causæ, est tamen malum per viam signi. Significat enim aut paruitatem caloris, & consequenter debilitatem virtutis digestiuæ absolute: aut in comparatione ad cibum digerendum.*

Signum bonæ digestionis est non sentire grauitatem, neque rugitum, &c.

Feces quādo indurentur. *Schola docet, quod ventris onus compressis natibus non est retinendum, ita namque indurantur feces in intestinis ob continuā suctionem venarum misaraicarum, quæ omnem*

nem

nem humiditatem à fecibus exugunt, quo fit, vt ille exiccatæ; difficilioris exitus fiant, intestina obstruant, oppilentque, & flatum eductio præcludatur, & aliorum consequentium secum, & sic nocumenta quam plurima sequantur.

Si natura fuerit districti alui, præcipuum remedium erit si pruna hispanica dulcia, numero octo, vel decem, cum pugillo passularum dulcium, in iure pulli, aut carnis vitulinæ, vel optimi castrati decoquantur, & decoctum mane sumatur ante prandium. Sine molestia enim aperiet aluum, & omnes humores temperabit. Remedium pro stipticis.

Item quando ventris beneficium deficit, adiuuatur vncia floris cassiæ, & etiam passulis dulcibus ante cibum, linietur venter, & conferunt pectori.

Cassia omnes humores euacuat, sanguinem puriorem reddit, & vniuersum corpus integrum efficit.

Euacuatio non habet fieri ante materiæ digestionem. Canon tamen habet veritatem præterquam in materia venenosa, aut furiosa valde, aut multa, de qua timetur ægri perditio. In his enim casibus magnum periculum est in mora. Aduertendũ pro euacuatione.

Omnes euacuationes particulares generaliter præcedere debet vniuersalis, quæ

 fit

fit per pharmacum, vel missionem sanguinis. Et quia dicunt Medici, non euacuamus nisi concoquamus materiam, cum materiæ sint diuersæ, scilicet aliæ crassæ, aliæ fluidæ, pro crassibus debemus vti abstergentibus, & incidentibus, vt syrupo de betonica, & consimilibus, pro fluidis autem incrassantibus.

Syrupus de betonica, & cichorea bene conferunt ad concoquendam bilem, & pituitam.

Cibus in quãto tempore vertatur in substantiam animalis.

Verum quantum temporis spatium detur ab assumpto cibo, ad substantiæ animalis deperditæ restaurationem, tres esse dies testatur Hippoc. in l. 4. de morbis. Siquidem in primo die assumitur cibus, in secundo feces exeunt: in 3. humor excrementosus expellitur. Sanus igitur deget homo, si cibo opportuno assumpto, secunda die feces emittat, & tertia excrementitias humiditates. Et è contra sanus non permanet, si feces detineantur humiditatesque prædictæ tertia die non expellantur. Et si sibi prima, aut secunda die exeant, homines euadunt tenues, ac debiles.

De

De paralisi, spasmo, & stupore. Cap. 38.

PAralisis græce, latine dicitur relaxatio. Vnde paralisis nihil aliud est, quam membrorum relaxatio propter neruorum oppilationem causata. Sed notandum, quod paralisis interdum est cum totali ablatione sensus, & motus; aliquando solum cum diminutione ipsorum. Vnde paralisis proprie dicta, est particularis apoplexia: & apoplexia est paralisis vniuersalis. Paralisis quid sit.

Spasmus est membri patientis abbreuiatio, siue decurtatio, & prouenit, vel ex nimia repletione, aut euacuatione, aut ex mala frigida complessione, aut calido neruorum apostemate. Quando contingit materiam aliquam in neruis imbibi, sic vt eos dilatet, & accurtet: propter quod neruus versum originem contrahitur fit spasmus, quem de repletione dicimus. Defectu autem materiei fit à quacumque causa potente humiditates nostri corporis exiccare. Et tunc neruis non aliter accidit, quam quando igni corium madefactum exponimus, ipsum enim humiditate resoluta contrahitur. Interdum etiam fit propter dolorem, aut no- Quid sit spasmus, & vnde proueniat.

nocumētū aliquod cerebro communicatum. Cum enim cerebrum tale ſentit nocumentum, ſe contrabit, ex cuius contractione ab ipſo quoque orta contrahuntur, & motui voluntario fit inobedientia. Interdum propter frigus muſculos congelans, membrum tenſum ſtabit, ad nullam poſitionis differentiam ſe flectere potens. Quod etiam ex venarum, & arteriarum repletione poteſt euenire.

Quid ſit ſtupor.

Stupor nihil aliud eſt quam membri ablata, vel diminuta ſenſatio, propter tactiuorum ſpirituum paucitatem, aut ipſorum, ſeu membri in debitam diſpoſitionem, ab alicuius rei mala qualitate eidem impreſſa, cauſata.

Stuporis cauſa quæ ſit.

Stuporis cauſa ſunt omnia, quæ in originibus neruorum, ſeu in neruis ipſis, per quos ad membra ſpiritus deferuntur, & ab extrinſeco, & intrinſeco oppilationem facere queunt, vt ſua nimia quantitate ſanguis oppilans, aut viſcoſitate phlegma: aut melancholia, ſua groſſitie: Cholera vero non niſi ratione, qua humoribus ceteris dat ingreſſum, raro, immò rariſſimè fit ſtuporis cauſa.

De

De sanguine, & phlobotomia. Cap. 39.

Sanguis qui vitæ thesaurus à medicis vocatur, aliquando egreditur à venis, & arterijs, aliquando à membrorum substantia. Primo modo egreditur tripliciter, aut propter apertionem orificiorum venarum, aut propter resudationem, aut propter solutionem continuitatis in venis, & arterijs, siue ille rumpantur, siue scindantur, &c. Causa resudationis sanguinis à venis, aut est subtilitas sanguinis, vndecumque proueniat, aut raritas texturæ venarum. Sãgus vnde egrediatur.

Cognoscitur prouenire ex apertione orificiorum venarum, quia in principio est paruus, & augendo procedit, & est sine dolore. Et è contra proueniens ex ruptura venarum, in principio est multus, & deinde paucus, & cum aliquali dolore. Quomodo cognoscitur vnde egrediatur.

Cognoscitur prouenire ex apostemate, cum sputum sanguinis succedit sputo saniei.

Quando sanguis exit à pulmone, & pectore, egreditur cum multa tussi.

Sputum sanguinis aut prouenit ex pulmo- Sputum san-

guinis vnde prouenia t.

mone, aut ex alijs interioribus membris. Interiores causæ sunt venarum corrosio, quæ fit à fluxu à capite descendente ad pulmonem, & ad pectus ex materia cholerica, aut phlegmatica salsa. Item venarum apertio interdum fit ex repletione earum ex multis humoribus: aut à sanguine, qui ante purgabatur per euacuationem menstruorum, aut per emorrhoides. Plerumque vero ex mala complessione frigida & sicca, vnde aperiuntur sicut lutum cum desiccatum fuerit.

Sanguis proueniens à venis pectoris, est minoris quantitatis, magis grossus, immò aliquando congelatus, sicut sanguis suga. Sanguis autem pulmonis non coagulatur propter multam choleræ admistionem. Item proueniens à stomacho, cognoscitur ex dolore stomachi, sicut proueniens à pectore, ex dolore pectoris Et sanguis proueniens à splene, est magis niger. Item quando sanguis egreditur à pulmone, nullus dolor adest, quia pulmo sensu caret.

Distillationes sanguinis ex naribus malum.

Distillationes sanguinis ex naribus semper malum: propterea quia natura desiderat extenuare, excernere, & expellere superfluitatem, nequit autem, aut propter imbecillitatem propriam, aut propter grossitiem sanguinis, aut propter densitatem par-

particularum, aut quid simile. Bene enim fluxibilem oportet sanguinem esse.

Sputi sanguinis causa interna est sanguis copiosus, & calidior, qui sui copia, & caliditate, quandoque præter naturam orificia vasorum aperit. Externa causa esse potest quicquid potest vasorum vnitatem soluere. Sputi sanguinis, causa.

Pro cura sputi sanguinis conueniunt caseus recens, & milium, & euitetur exercitium, atque locutio. Et acetum probibet fluxum sanguinis, si est exterius, & super eum effundatur. Auicennas dicit: Quantum possibile est caue à missione sanguinis, quia est thesaurus vitæ. Sanguis nunquam educi debet in febribus intermittentibus cuius rationem Auicennas reddit, cum ait Caue ne ad vnam duarum rerum ægrum perducas, humorum cholericorum ebullitionem, vel frigidorum cruditatem; est enim sanguis frenum bilis, & suo temperato calore cruditates concoquit. Et rimediū. Sanguis est frenum bilis.

Galenus 3. acutorum abstinendum esse à sanguinis missione per æstatem docet, etiam si omnes conditiones adsint, vt puta morbus magnus, & ætas florens, viresque suppetant. Qui enim de temporum statu nihil cogitantes, sanguinem abstulerunt Medici, omnes interfecerunt.

Do-

Documentum Galeni, quo docet saluberrimum esse in febribus omnibus venam incidere, intelligitur de febribus continuis, & non de intermittentibus. Fit sectio venæ ob duas causas: aut quia sanguis inutilis est, & suam qualitatem non seruans, nutrire non valet, aut quia vires præmit, aut venas, & arterias distendit, fundit, & obstruit.

De sectione venæ.

Quantitas extrahendi sanguinis erit quousque calor mutabitur aut virium robur sustinebit. Et in virium imbecillitate, aut dimittenda est, aut partiri expediet.

Phlobotomia trahit ad intra sanguinem in cute existentem, & ideo vituperatur in variolis, & venenis.

Sanguis in qua quantitate sit mittendus.

Sanguinis mittendi maxima est controuersia: nam Galenus, Auicennas, & alij docent sanguinem mittendum vsque ad animi deliquium, sperantes hac ratione, quod tollatur, & iuguletur febris. Verum Auerroes in omnibus reprobat euidenti ratione Galeni, aliorumque opinionem, dicens, non debere nos tantum moliri euacuationem, quoniam natura quando recte operatur nunquam euacuat vsque ad sincopim. Medici autem naturæ imitatores esse debent. Sanguis enim est vitæ thesaurus; ideoque naturæ carissimus, qua pro-

propter in eius euacuatione reseruatissimi classici omnes semper videntur. Et pueris vsque ad 14. *annum vena incidenda non est nec sanguis mittendus, quia vt inquit Galenus, Puerorum substantia omnium facillime digeritur, ac dissipatur; ideo minus euacuationis præsidio eget, &c.*

Ad educendum sanguinem crassiorem, basilica vena est aptissima, secus Saphena. Si sanguis sit niger, & crassior, permittatur exire. Si pulcher clarus, lucidus; statim obstruatur. Ideo enim laudat Galenus missionem sanguinis præ cæteris medicamentis per os exhibitis, quia semper reprimi potest, & vel parum, vel multum educi secundum Medici astantis voluntatem, quod non ita potest moderari in medicamentis per os exhibitis. Quæ venæ sint aperiēdæ

sāguis in quā quantitate sit mittendus

Ea hodie apud vulgum inualuit consuetudo, vt venæ ieiuno, ac vacuo incidatur stomacho.

Sed hoc ipsum doctoribus quibusdam minus probatur, vt quibus conducibilius esse videatur; vt ouum sorbile, cum haustu vini exhibeatur. Natura enim stomacho existente vacuo, ne alimento destituatur sanguinem pertinacissime retinet.

Et aduertendum, quod si ante phlobotomiam non fuerint feces naturaliter eductæ, In phlobotomia quid aduertendum

cta, sunt artificialiter educendæ, ne propter venarum inanitionem, istæ superfluitates ad intra trahantur.

Quando sanguis emittitur à naribus, vel hemorrhoidibus, nisi superflue emittatur; nullatenus debet restringi.

Quibus etatibus vitanda est sanguinis detractio.

In ætate ad 14. vsque annos vitanda sanguinis detractio est, sicut etiam post annos sexaginta, nisi quæ ineuitabilis compellat necessitas. Item vena secanda non est, nisi sanguis effectus sit vitio vehementi, vt si contingat, quod post applicatum fomentum non liniatur dolor, sed intendatur. Quia tunc hæc intensio significat corporis repletionem, & vitium sanguinis vehemens.

Is cui vena secta est, protinus à missione sanguinis cibum non sumat, sed expectet dum humorum agitatio sedetur ne cibus nondum concoctus ad subueniendum membro laso cum sanguine simul attrahatur.

Loco phlobotomię quid faciendum.

Vbi ætas, seu aliud phlobotomiam fieri prohibet, ventosæ apponi debent super nates primo successiue in spatulis, &c.

De

De Scabie, Pruritu, & formicarola. Cap. 40.

SCabies, & pruritus differunt, quia pruritus est tristis sensatio cum punctione, & acuitate in superficie intrinseca cutis. Scabies vero est ægritudo in superficie, cum asperitate, & rubedine, aut pustulis cum pruritu. Scabies, & pruritus in quo differãt.

Scabiei, & pruritus cura perficitur per abstergentia, & exiccantia in cute posita. At pruritus ille scalpore sedatur, qui pendet à materia subtili, & pauca. Calefit enim membrum scalpendo, pori dilatantur, & materia subtilitatur, vnde facile exalat. Et è contra materia existente multa, & grossa; non tota resoluitur. Quomodo curetur pruritas.

Pruritus, & scabies, vt plurimum ab eodem pendent humore, qui cum primo cuti applicatur facit pruritum, postea magis egrediens; facit scabiem. Multi tamen sunt pruritus, ad quos non sequitur scabies. Scabies, & pruritus vnde proueniãt

Cum totum corpus redundat feruentissimo sanguine, qui tanquam alimentum ad singulas corporis partes necessario defertur, quæcumque eius pars subtilior, acrior-

que est, ad cutim tanquam excrementum defertur: si postea frigus, vel ex aqua, vel aere occurrerit, statim meatus condensantur, & astringuntur. Vnde introclusi spiritus illi tenues, acres, & mordicantes; necessario excitant pruritum, deinde etiam dolorem, multiplicata V. materia; & sibi inuicem succedente. Vnde si vel propter crassitiem, vel densitatem meatuum cutis, non possunt transpirare; fit vel pruritus, vel scabies.

Scabies vnde proueniat

Scabies prouenit ab humoribus adustis, & à pituita salsa; quæ attestatur caliditatem hepatis.

Materia crassa ex sculptura non euaporat, sed facit pustulas, & ibi putrescit. In scabie fit asperitas propter exiccationem superficiei cutis, & rubedo ex accensione sanguinis, & aliorum humorum.

Scabies & pruritus, vt plurimum generantur à materia sanguinea, cui admiscetur cholera adusta. Et scabies, quæ reddit cutim asperam, & facit disquamationes, prouenit à materia multa, & apud antiquos lepra dicitur. Nam lepra morbus solius cutis est.

Vehemens pruritus ostendit melancholicum sanguinem, adustum. Is enim tam pertinax est, vt sæpè citius cutem, &

car-

carnem discalpes, quam pruritum tollas.

Scabiei tandem causæ sunt quatuor. Sanguis scilicet adustus, cholera adusta, phlegma salsum, aut per adustionem transiens in melancholiam, & melancholia adusta. Scabiei causæ assignantur.

Quando humor cholericus, qui est mordicatiuus, & acutus, expanditur super membra puri sensus, causat horripilationem, & puncturas veluti acus, qui dicuntur formica, & formicarola. Item quando à multitudine sanguinis obstruuntur via, fiunt obstructiones, & stupores illi, qui etiam formica dicuntur. De formicarola.

De motu, quiete, lassitudine, pediculis, & Cicatricibus. Cap. 41.

LAbores, atque animi accidentia, si moderata fuerint, calorem naturalem excitabunt, concoctiones adiuuabunt. Si exuperabunt, calor igneus excitabitur, & naturalis diminuetur, & torpida succedet frigiditas. Ergo in omnibus excessus est euitandus.

Exercitium tunc obeundum est, quando exquisitissima facta est concoctio, quod præ- Exercitium quando faciendum.

cipue habemus matutinis horis. Equitare tunc optimum est, cum renes & totum corpus fuerit expurgatum.

Et ad quid prosit.

Exercitio superfluæ humiditates resoluuntur, propter quod infectioni pestilentiali, & alijs ægritudinibus materialibus potentius humores resistunt. Vnde Auicennas inquit. Ad exercitium peragendum conuersi per modum suæ qualitatis, & in hora sua, nullo indigent medicamentorum quæ materialibus necessaria sunt ægritudinibus. Vnde refertur, quod in quadam peste omnes quasi fuerunt mortui, præter venatores vtentes exercitio.

Curæ quibus vtilia.

Et schola dicit, si vis incolumen, si vis te reddere sanum, Curas tolle graues, irasci crede prophanum. & hoc ignorandum nō est, qudo obæsis nonnullis, quibus corpus immodice plenum est, ac ijs etiam, qui spiritus admodum mobiles, ac calidos habent, interdum vtile est, si curis, timore ac tristitia conficiantur quo nimirum spiritus calor hebetetur, & nimia moles extenuetur.

Loco medicorum quæ assignentur à schola.

Si tibi deficiant Medici, Hæc tria, mens hilaris, requies, moderata dieta medici tibi fiant.

Plutarchus tradit Pithagoram animo pacando, sedandoque ab effectibus, & pertur-

turbationibus musicam adhibere solitum.

Membrum secundum Galenum potest dupliciter debilitari, vel quia priuatur proprio, & innato calore, vel quia habet caliditatem præter naturam.

Vnum singulare in delendis cicatricibus est balsamus, in quo pennam intingas, cum qua sæpe cicatricem linias, propter hoc enim in tantum cicatrix subtiliabitur, vt quasi non appareat. Pro dolendis cicatricibus.

De Arterica, & Podagra.
Cap. 42.

ARtetica est iuncturarum quæ sunt membrorum ligamenta; dolor: cum tumore, vel sine, à mala complessione, humore, seu ventositate in ipsarum existente concatenatione, causatus.

Materiæ, quæ arteticam efficiunt, non nervis, neque chordis, sed in ligamentis, aut iuncturarum concauitatibus imbibuntur, & neruos, chordas, aut musculos extendentes, quandam continui solutionem efficiunt, & dolorem per consequens.

Dolor item in quauis iunctura factus, tumore ab extra apparente nullo, vt plurimum fit molestior, apparente vero; mitigatur. Dolor quando fit molestior.

tur. Quia materia ad extra propulsa, maiori in spatiositate continetur, & sic non tanta fit continui solutio, & per consequens non tantum fit dolor intensus.

Materia ad iuncturas, seu ad iuncturarum nodos propulsa, propter eius gispseitatem, seu duritiem, interdum fit ineptissima resolutioni.

Fortitudo, & debilitas quo modo causēt arteticam.

Artetica interdum etiam prouenit ex parte fortitudinis expulsiuæ, cum scilicet epatis, & aliorum membrorum sit expulsiua fortis. Tunc enim ad debiliora membra superfluitates eorum mandat, quæ deinde sunt huius ægritudinis causa: ita Auicennas, & Galenus. Prouenit etiam à debilitate virtutis nutritiuæ, cuius causa humores crudi plurimi generantur.

Pro arteticis multum balnea commendantur, & illa potissimum, quæ indifferenter membra omnia confortando, superfluitates ipsorum resoluunt. Sed *aduerte, quod plurimi calidas valde renes habentes, propter ab artetica præseruare, naturalibus balneis vsi sunt, & ad vrinæ ardorem deuenerunt; & isto modo à podagra liberati, in crudelissimam aliam ægritudinem inciderunt, & magnis cruciatibus ad alium mundum transierunt.* Cæterum *nisi corpus bene purgatum fuerit, intrare balneum*

neum haud quenquam permittendum est. Et postea cibus sumatur. Qui suspecti sunt de podagra, à lotione frequenti pedum abstineant, quoniam humiditates fluere facit ad iuncturas.

A lotione pedum qui abstinere debent.

Rasis dicit, quod podagra fit in tribus complexionibus. In repletis sanguine celeriter, in ijs in quibus sunt superfluitates semicrudæ; abundanter valde; & in corporibus cholericis.

Gutta pro cuiuscumque interdum humoris stillicidio, ad quamuis nostri corporis partem defluentis accipitur. Alio modo capitur, prout est iuncturarum dolor, ab humore in ipsarum concatenatione à membris alijs defluente causatus. Quemadmodum enim membra ad se inuicem escam trahunt, ita ad se inuicem superfluitates deponunt. Et isto modo fit gutta, quæ per similitudinem guttæ à tectis, seu ab arboribus stillantis dicitur.

Gutta dupliciter accipitur.

Pulegium peculiari proprietate quadam, antiquam curat podagram. Crassos enim, viscososq. humores, vnde podagra generari vt plurimum solet, vehementer calefacit, decoquit, attenuat, & emolitur. Quapropter podagricis etiam per se subuenit, impositum vsque dum rubescat locus. Vi pollere corroborandi, ex bona fragran-

Remedium pro podagra

tia eius satis liquet.

In podagra, vt inquit Rasis non est res vtilior motu, sed ad eum gradatim patiens assuescat, & debitis horis fiat, ex hoc enim dolor omnino tolletur, verum cum laxari incipit, est illico quiescendum: nam cum laxatio incipit, liquefit caro, & superfluitates in articulis, & in musculis congregantur, sed vbi quis exercitium facere nequeat, ante cibum faciat fieri fricationes. Omnis euacuatio siue per vrinam, siue per sudorem, & quando suo loco facta sint, dolorem auferunt omnino: nisi cum hoc, cibo & potu infirmus repletus fuerit, quoniam si membra vacua fuerint, & venter plenus, superfluitates magis quam solent, trahent.

Quæ dolorē auferant.

De splene, & hepate, & pulmone. Cap. 43.

QVando splen redditus est debilis, sæpenumero intumescit, & crassior apparet, nec trahit ad se fecem sanguinis, sicut oportet, & ita fex ista per sanguinem dispergitur & reddit corpus nigrum, pallidum, & melancholicum. Qui enim caret sanguine laudabili, ad liuiditatem tendit,

Corpus vnde efficiatur nigrum.

&

& *discoloratus efficitur.*

Palliditatis, vel fedi coloris ablatio fit cum rebus aperientibus, & vrinam proijcientibus, vt cum decocto apij, feniculi, asparagi, petroselini, cicerum, & similium. Pro palliditate.

Splem à natura celerrime indurari solet, sanguine nimirum in venis obturato, & ob crassitiem neq; excerni, neq; discuti faci le potente, vt habetur ex Auicenna.

Signa obstructionis lienis sunt grauitas lateris sinistri, distenctio, & dolor, Signa corruptionis attractoriæ facultatis ipsius, sunt totius corporis nigrities, & obstructio. Signa retentricis affecta sunt vomitus sine febre, vel alia occasione. Signa inflammationis lienis cognoscimus ex dolore, feruore febre &c. ijs etiam os fetet, gingiue exeduntur, &c.

Pulmonis inflammatio cognoscitur, quia tanta inducitur spirandi difficultas, tantaq. angustia, vt suffocari laborantes videantur ac recti sedere cogantur. In tussiendo modo hoc, modo alio colore infectum expuitur, vt rubrum, flauum, rufum, spumosum, nigrum, & liuidum. Huiusmodi infirmitas si fuerit à sanguine, vel à bile, conueniunt sirupus violaceus, & aqua hordeacea: si fuerit à pituita, conuenit oximel cum sirupo violaceo. Euacuatio potest fieri cum De pulmonis inflammatione.

Man-

Manna, & Cassia.

De vlceribus pulmonis. *Vlcera pulmonis non modo ad curandum sunt difficiliora, sed quibusdam etiam impossibilis videtur eius cura. Et hoc, ratione & experientia dicit Galenus. Ratione, quia pulmo semper est in motu, & quæ sunt sananda, quiete indigent. Experientia, neminem eorum ita affectorum sanatum viderim.*

Cum caliditate hepatis, quare frigiditas ventriculi. *Fere semper cum caliditate hepatis est frigiditas ventriculi, propter caliditatem ipsius hepatis, absumitur pinguedo, & ventriculus fit frigidus.*

Quod hepar sit calidior, & siccior, ostendit totius corporis constitutio extenuata, & macra, corpus vndique hirsutum, & pilis vestitum.

Hepatis calor in declinante ætate intensior efficitur nimirum siccior.

De Peste, & de Carbunculis pestilentialibus. Cap. 44.

Pestis vnde proueniat. *PEstilentia morbus est, qui non solum ciuitates exhaurit assiduis funeribus, verum etiam totas nationes depopulatur, ac vastat. Quidam ex aere corrupto, alij ex aquis vitiatis, non nulli ex noxio terræ habitu*

bitu pestilentiam exoriri autumnant. Religio tamen sicut terræ motum, & alia id generis mala mortalibus irrogata assignat irato numine. Vnde tenet, & credit esse telum Dei, quo sontes, insontesq. feriuntur. In libro Reg. 2. euidens est exemplum.

Aer cognoscitur esse pestilens, cum aues nidos relinquunt, & animalia pleraque è putri materia generantur. Aer pestilens ex quo cognoscitur.

Aqua cognoscitur esse pestilens si sit pinguis, & tactu tepida, virescens, si multiplicentur ranæ, & pisces etiam quandoque moriantur: si à terra procedat vapor pestilens, cognoscitur inde, quod terra euadit sterilis præter consuetudinem, vigent terræ motus, animalia cauernas fugiunt, &c. signa corruptorum vaporum in visceribus terræ retentorum quibus plantarum nutrimentum, vel aer ex eorum egressu inficitur, sunt murium, talparum serpentum, & aliorum sub terra habitantium, vltra solitum super ipsius terræ superficiem apparitio. Vermium, & aliorum ex putredine nascentium præter communem cursum excellens generatio.

Corpora naturaliter in poris lata, vt sanguinea cholerica alijs paribus sunt paratiora febrem incurrere pestiferam, quoniam illa ab aere plus lædi possunt, quæ plus de Quæ corpora pestis facilius inficit.

de eo attrabunt, ſed corpora in poris ſuis naturaliter lata, plus de aere attrabunt ergo. Et dato quod quis vellet contrarium tenere, poſſet, vt quia babito reſpectu ad fortitudinem virtutis, propter ipſam magis reſiſtere poſſunt. Sed experientia eſt in contrarium. Videmus enim tempore peſtis iuuenes robuſtos magis mori, quam debiles, & ſenes. Vnde concludendum, quod minime ſuſpecti, & boni talium infirmorum abſque periculo cuſtodes, ſunt vetulæ melancholicæ.

Ciuitas Athenienſiũ quomodo à peſte fuerit liberata.

Hippocrates circum circa ciuitatem Athenarum ex lignis quercus accendit ignem, die ac nocte ardentem, quam ſic à peſte liberauit, & Athenienſes tunc eum in Deum babuerunt, & ſibi ſtatuam æneam conſtruxerunt.

Contra peſtẽ quæ proſint.

Cameræ infecte prius bene mundate debent irrorari cum aqua roſata, & aceto. Acetum enim eſt multum choleræ atq; ſanguinis feruoris extinctiuum, & per conſequens eorum aduſtionis probibitiuum, & à preſeruando à peſte mirabilem babet efficaciam.

Aer impurus redditur purus beneficio roſarum, aquæ roſaceæ, ſucco citri & ſimiliũ.

De Carbunculis.

Carbunculus prout febrem concomitatur peſtilentialem, de triplici materia generatur

tur scilicet de sanguine habente putredinem; de cholera habente impetum, & acumen; & de melancholia habente diuturnitatem. Si in sanguine maior fuerit putredo, carbunculi rubescunt, si in cholera; citrinescunt: si in melancholia; liuescunt, siue nigrescunt. Et si magna in illis humoribus accidit venenosa corruptio, omnes hi tres colores similiter apparent.

De Venenis. Cap. 45.

A*Vicennas, & alij dixerunt, quod venenorum quoddam operatur non quia calidum aut frigidum, sed quia talem habet proprietatem vitæ, & sanitati contrarium.*

Causa quare aliqua in veneni præsentia rorem emittere videntur est, quia venena in cibis, potibusue, vel qualitercumque in aere præsentata aerem ipso suo vapore, vel alio modo alterant, seu inficiunt; qui aer sic infectus ad prassium, seu serpentis cornu perueniens ingrossatur, & in roris modum conuertitur, & tunc vulgares dicunt talia in veneni præsentia sudare. Sed hic notandum, quod in aere vehementer calido, & sicco, forsam talia rorem non emitterent. Quia tunc caliditas & siccitas in tantum pos-

Venenum ad esse quomodo cognosci tur.

possent aeris ingrossationem prohibere, quod in modum roris conuerti non possent.

Sal venenis resistit, habet enim sal vim vehementer siccam, & adstringentem, vnde poros per quos veneni vis in interiora corporis irruere solet, & densat, & constringit, adeoque penetrationem eius intercipit, & excludit.

Scorpius morsui proprio vtilitatem praestat, quia post applicationem eius, venenum à corpore trahitur. Attrahens enim vis magis est efficax in scorpione, quam in eius veneno, & simile trahit simile.

Venena quare interficiant. *Sciendum, quod venenorum quaedam interficiunt ratione nimiae caliditatis, calorem naturalem dissoluendo; quaedam ratione excessiuae frigiditatis, calorem naturalem mortificando: quaedam ratione siccitatis, corrodendo intestina; & perforando: & quaedam ratione nimiae humiditatis, putrefaciendo, & corrumpendo.*

Remedium pro venenis. *Cepa sub cinere decocta, & sub pedum plantas posita, venenum ad se attrahit. Ad interiora valent omnes confectiones potentes substantiam veneni resoluere, siue sit calidum, siue frigidum.*

Cicoria commesta valet contra venenum, & cotta, & commesta valet oppilationi splenis, & epathis.

Nu-

Nuces enim collectionem phlegmatis, quod ex frequenti piscium esu generatur caliditate, ac siccitate sua discutiunt, & dispergunt. Vnde nuces tiriaca piscium, post eorum commestionem sumuntur deplumatæ in aqua rosacea. Aliqui accipiunt vinum, in quo aliquantulum maneant, & deinde Zucchari aspersæ sunt comedendæ. Quæ si cum vna ficu sumantur ante cibum, ab omni veneno hominem præseruant illesum. Nuces contra venenum

Sal cum oleo tepido super combustionem ignis, probibet a vessicatione, & quando miscetur cum aceto; sedat pruritum. Et cofert quando teritur & miscetur cum aceto forti, & ponitur super locum, in quo est morsura alicuius venenosi animalis. Contra venena, & combustionem, & pruritum.

Tiriaca qualitercumque sumpta, potest altero duorum modorum venenum corrumpere, primo vt ipsum ad se trahat, sicut magnes causa exempli attrahit ferrum, attractumq. perimit sic, vt amplius virtutem non habeat venenosam: secundo vt venenum à se pellat, & expellendo corrumpat, vt sensibiliter amplius virtutem veneni nõ obtineat. Aliud remedium contra venenum, conbustionẽ & pruritum.

De

De cura offensi à cane rabioso, & de alijs aculeatis ictibus. Caput 46.

MVlta animalia vt canis, rabiem incurrunt: sicut est homo, lupus, simia, equus, mulus, asinus &c. & talis rabies in eis prouenit aut à frigore intenso, sanguinem in eis congelante, aut à nimio calore humores comburente, & sic propter ista eorum alteratur complexio, & fiunt melancholici, successiue vero rabidi: vt puta ex cibo corrupto, & infecto: vel ex potu, vel quia sunt ab alio animali rabido morsa.

Canis rabidus vnde cognoscatur.

Cognoscitur canis rabidus à non rabido, quia solus libēter moratur, dominum suum non cognoscit, eius rubent oculi, & terribilis fit aspectus, cum capite demisso perambulans, linguam foris tenet, & ab eius ore saliua spumosa manat, rauceque latrat, &c.

Remedia quedam.

Vrtica morsibus canum addito sale medetur. Canis rabiosi morsui confert hominis vrina super illum effusa. Malua contra omnes aculeatos ictus efficacior est, & præcipue scorpionum ac vesparum.

De

De Calculosa passione. Caput 47.

Sciendum, generationis lapidis duas principales esse causas effectiue, scilicet caliditatem excessiuam, & excessiuam frigiditatem. Vbicumque igitur caliditas excessiua fuerit in viscosam materiam, tempore notabili agens; ibidem calculus fieri potest. Sed frequentius in renibus, qui renes à natura iaco facti sunt, vt sanguinem serum ad se trahant, & vt ab excremento vniuersum corpus expurgent.

Calculus frequentius fit in renibus, quia eorum excessiua caliditas, acquositatis quantitatem multam ab epate trahit, & cum in eo non debito tempore manserit, multum viscositatis secum habet: & sic in renibus retenta; à calore ipsorum superfluo lapis, seu calculus generatur. In vesica autem, quamuis membrum de se frigidum sit, & exangue; materia tamen ibidem diù retenta saltem calore membrorum & præcipuè stomachi, & epatis in lapidem conuertitur. Qui Calculus quare frequẽtius fiat in renibus.

propter diuturnam moram in vesica; fit lapis renum durior, grossiorq; magis.

Calculi ex quatuor humoribus possunt generari, scilicet, pituita, bile, melancholia, vel sanguine. Crebrius tamen & frequentius ex bile mixta cum pituita: ideo vt plurimum apparent rubei, & subcitrini, cum aliquali albedine, qui colores bilem, pituitamque dominari attestantur. Vbi pituita bili dominatur; leuiores sunt, non ita duri, neque asperi, neque periculosi.

Calculus propriè quid sit. *Lapis materialiter nihil aliud est, quam arenularum coadunatio, & tandem congelatio, & potest fieri lapis in pluribus nostri corporis partibus, veluti in pulmone, stomacho, & intestinis.*

Et vnde exeat. *Viæ, per quas calculi transeunt, sunt vasa orinaria, quæ renibus coniunguntur per quæ, & vrina, & materia hæc expellitur. Possunt autem hæ esse vel angustæ, vel amplæ: si angustæ; in exitu calculi, interdum talis causatur dolor, quod facit hominem in sincopem incidere: & aliquando mori. Nonnumquam autem contingit, quod lapis in renibus genitus, mandetur ad vesicam, in qua si moram traxerit, ob materiam continue defluentem augetur, adhæret enim illa lapidi ob viscositatem, vt tandem*

propter longam moram in vesica, insignis lapis procreetur.

Causa efficiens calculorum, est calor accidentalis, vel naturalis existens in renibus. Nam propter laborem plurimum, cibaria calida, hepatis, & venarum caliditatem; concoquitur huiusmodi materia non aliter, quam lapides in fornace, Auicennas addit debilitatem virtutis expulsiuæ, quæ si fortis esset; priusquam materia excoqueretur expelleret; atque ita calculorum generationem prohiberet.

Quando arenulæ in multa copia fluunt, virtutis expulsiuæ fortitudinem, ac materiam subtilem, & obedientem ostendunt. Si vero retineantur, periculum est, ne statim generentur calculi. Et cum tam in sanguine, quam alijs in humoribus contingat adustionem sæpissime fieri; plerumque aliqua eorum pars incineratur, & in arenulas commutatur.

Retentionis lapidis causa triplex assignatur, vt materiæ viscositas: viarum opilatio; siue structura; & expulsiuæ debilitas. Retentionis lapidis quæ sit causa.

Pro dissipatione, & disceptione calculorum prosunt succus limonum, acetum, vinum sublimatum, &c. De aceto Anibalis legitur, quod ipse rupes, & moles confregerit.

Dolor calculi quãdo minuitur.

In calculosa passione, cibo sumpto minuitur dolor. Quia tunc acquositas quadam ab epate ad vias renum dimittitur quæ eas mollificando dilatat: & cum tunc liberius calculus transeat; minuitur dolor.

Remedia pro calculis.

Præseruatiua cura calculi probibet omnia crassa, & viscosa, tam in cibo, quam in potu: veluti sunt panes azimi, caseus, animalium extremitates, & lacticinia. Materiam non permittit figi in renibus, sed etiam expellit, brodium cicerum rubrorum inter alia. Calorem intensum mitigat oleum violaceum, amagdilinum dulce, &c. Comminuunt lapidem, origanum: radices petroselini, asparagi, feniculi, & similia.

Sachari rosacci virtus.

Extrinsecus conueniunt omnia mollificantia, qualia sunt vnguenta ex oleo amigdalino dulci, pinguedine gallinæ; butiro; &c. Curant lapidem, etiam betonica, ficus, semen mellonum, &c. Et assiduus sachari rosacei vsus, pro renibus est salutare auxilium. Nec tamen affectibus frigidis nocet, cum sit in omnibus qualitatibus suis temperatissimum. Ventriculum autem ab omnibus excrementis præ cæteris mundum reddit, ac roborat: ipsam quoque abigit distillationem. Vnde maxime probatur si quotidie mane per horam vnam ante prandium

dium

dium de eo aliquid sumatur, & postea leniter deambuletur.

De Matrice, suffocatione, & menstruis. Cap. 48.

MAtrix est membrum à natura pro conceptione deputatum, inter vessicam & intestina situm, duabus cum tunicis creatum: quarum intrinseca venosa, & extrinseca substantiæ nerueæ similis cernitur, & ab eius intrinsecis venis congruo tempore menstrua, quæ à vulgo metaphorice flores nuncupantur; effluunt. Sicut enim floribus carentes arbores, fructus non ferunt; sic non menstruantes mulieres.

Sperma mulieris menstruatæ retentum, in veneni naturam mutatur, quod tamquam nociuum expellere appetunt per coitum. Vnde pluribus ex ijs, maxime ex assuetis ad coitum; non eo euntibus, suffocatio matricis accidit sæpe, anhelitus quoque difficultas, sincopis, tremor cordis, aut tale aliquid: vt plurimæ ab hoc præfocatæ pereant. Quod si virgines fuerint barba eis nascitur, & tandem eorum formæ corrumpuntur. Cumque curam non recipiunt; moriuntur.

Matricis suffocatio quid sit.

Matricis suffocatio est ipsius versus diafragma propter fumos, ac ventosos vapores in ea corruptos, ascensus: quo fit, vt pulmone, & corde compressis; pro spirituum euentatione necessaria; à debita dilatatione impediuntur: cuius ex causa mulier præfocata manet: & nonnumquam suffocata perijt.

Fumi putridi matricis ad caput euntes, dolorem ipsius, & vertiginem inducunt: qui si spiritibus misceantur, rationem, & intellectum perturbant omnem. Quibus ex omnibus animali virtute debilitata, pigritia, ac debilitas accidit in toto: & in cruribus quam maxime, propter distantiam à fonte caloris maximam. Et tunc matricem in caput deueniße mulieres non dubitant cuius oppositum si dixeris; te medicum stolidum prædicabunt.

Suffocatis mulieribus quomodo occurrendum.

Cum pauperculam suffocatam inueneris, ne sic crudeliter pereat, succursum statim adhibe. Et primum cum aceto, & sale circa extrema fricationes aspræ fiant, deinde odoratu horribilia naribus applica. Horribilis enim odor animalem spiritum sopitum concutit, & sic virtutem motiuam in eo euigilat.

Supra suffocatæ pectus phialam aqua plenam, vel ciatum pona, & si viua fuerit.

rit, agitari & commoueri aquam oportet. Vel ad os, aut nares ſpeculum bene terſum, vel politum appones, quod ſi viuit, neceſſe eſt anhelitum emitti, quo fit vt ſpeculum inficiatur.

Et hoc inter cetera certiſſimum experimentum eſt.

In puellis ante decimumtertium annum, ſanguis menſtrualis non egreditur quia non generatur ſuperfluus in hac ætate. Accedit etiam, quod fæminæ vſque ad hanc ætatem, vel tempus egẽt copioſo ſanguine ob augmen tum. Poſt quinquageſimum annum non fluit, quia calor tunc ita languet, vt ſanguis exuperare nequeat. Egreditur autem ſecundum leges naturæ quolibet menſe per tres dies, quamuis fæminæ etiam ſanæ per pauciores interdum dies purgentur pro copia, & qualitate ſanguinis. Calidior, tenuior paucioribus diebus effluit: contra frigidior & craſſior.

Menſtrua quando incipiant, & deſinant.

Quando fluxus talis erit cum tolerãtia, & cum ſe quitur leuitas, iucunditas, ac quies; ex virtutis fortitudine hoc prouenire nuntia. Quo in caſu minime reſtringendus erit ſi vero fluxus talis non erit cum tolerantia; niſi reſtringatur ad febres cholericas intenſiuas ducit ſæpiſſime. Quod fit, quia euacuato ſanguine; ebullit ac effrenitat chole-

ra: cuius sanguis frenum existit. Cumque calor naturalis sanguine pabuletur si fluxus superfluat; calor ipse consumitur & totius infrigidatio, ac membrorum omnium virtutis naturalis debilitatio sequitur.

Menstrua quare supprimentur. *Menstrua supprimuntur secundum Galenum, obstructis venis, quæ ad vterum descendunt, & hoc vel ratione caloris desiccantis, vel ob copiam humorum crassorum. Sistuntur etiam menses, si ad alia loca sanguis transferatur & ex vasorum vteri compressione, quum immodice corpus crassescit.*

Si causa suppressionis menstruorum fuerit vehementissimus calor, tunc prouocare ea non licet, cum sat sit ab hoc calore superfluitates absumi. Item nec prouocanda sunt cum corpus potius reficientibus, quam euacuantibus indigeat: si vero causa fuerit materia pituitosa: tunc opus est eam euacuare, crassa attenuando; & obstructa aperiendo cum oximelle, cum aquis feniculi, &c. si causa fuerit pinguedo, tunc adhibitis resoluentibus, curabitur cum exercitijs, ieiunijs &c.

Hic etiam nota, quod matricis præcipitatio, est ipsius matricis à suo naturali loco, in alium quempiam locum discensus, & digressio: quod contingit præcipue propter humiditatem nimiam, ligamenta ipsius putre-

fa-

facientem. Et inter causas externas connumeratur magni ponderis eleuatio: & super terram gelidam, vel pauimentum frigidum diuturna sessio. Item interna causa sunt menstruorum longa retentio, quorum pondere matrix degrauata, ruptis sapè ligamentis; in præceps descendit &c.

Si matrix sursum, diapragma versus vergat; dolores & grauedines supra vmbelicum sentire, massam rotundam in ventre tangere, & cita suspiria in muliere obseruare licebit. Ad inferiora autem si se præcipitem dederit, tunc dolores plurimi circa renes, lumbos, & pudenda erunt. & vessica, & rectum intestinum ita comprimuntur, vt & vrinam, & excrementa difficile sit excernere.

Naturalis mensium fluxus est à tertio, aut quarto die post nouilunium vsque ad octauum licet multa sint discrimina ætatum complexionum, & habitudinis corporum. Non naturalis fluxus dicitur si dictum tempus excesserit.

Biliosis propter caliditatem nimiam humores exiccantur, eoque menstrua retinentur. Melancholicis autem propter nimiam frigiditatem, & siccitatem idem contingit.

In hoc capite nota tamquam deseruiens huic tractatui, quod desiderium est duplex,

scilicet animale, quod in concupiscentia inuenitur, & naturale ex repletione spermatis, quod euacuare intendit natura.

Fluxui seminis, quid prosit. *Lactuca frigida & humida est, ideo tollit sitim, & semen eius fluxum spermatis cohibet.*

De Priapismo, Semine, & Pruritu. Cap. 49.

Priapismus secundum Galenum est penis, vel colis præter voluntatem erectio, & huiusmodi erectio virgæ inuita prouenit tum à spiritu, tum à flatu, & est sine desiderio libidinis, vel cum desiderio, nobis tamen inuitis.

Priapismus prouenit, vel ob seminis copiam, vel ob eiusdem acrimoniam, vel ob flatus, impetu quodam in illas partes erumpentes: vel à materia flatulenta, quæ genita fuit in pane, & tunc adest palpitatio, & iuuatur à calidis flatus dissoluentibus.

Gomorrea quid sit. *Gomorrhea est inuita, ac præter voluntatem seminis excretio. Et causæ sunt secundum Galenum, vel spermatis copia, vel eius tenuitas, & acrimonia, vel imbecillitas retentricis, aut virtutis expulsiuæ fortitudo. Contigere etiam potest à nimio coi-*

coitus desiderio, aut à multitudine coitus, aut eius cogitatione. Quod proueniat ex multitudine seminis, signa sunt, quia ad copiam coitus, nulla corporis imbecillitas, siue diminutio sequitur. Signa mordacitatis seminis sunt, quia in exitu dolor percipitur, & adest ardor vrinæ. Signa imbecillitatis retrentricis, quia sine erectione virgæ semen egreditur; si à conuulsione hoc malum proueniat, aderit erectio. Signa tenuitatis seminis sunt manifesta inspicientibus sperma.

Humor melancholicus, & humor crudus aptissimi sunt ad generationem flatuum, ratione quorum multa fit erectio, & inflatio.

In muliere priapismus nihil aliud est, quam immoderatus coeundi appetitus à causis pruritus in muliere causatus. Qui pruritus mulieris, & matricis eius est stimulus quidam scalpellandi, seu confricandi locum, in quo est. Qui ab humore cholerico, seu adusto in ea præter naturam congesto, prouenit. Frigiditas per antiparistisim caliditatem concludens, ac accentrans, hoc etiam efficere posset. Et tandem res qualibet non naturalis superfluam caliditatem in humoribus valens inducere; hoc efficere potest. Verum ex confricatione humor con- In muliere quid sit priapismus, & vnde oriatur.

ti-

tinue magis acuitur, & ad confricatum lotum maiori in quantitate confluit: vnde coeundi appetitus continue exurgit maior, & ob hanc causam, coitu plerumque non satiatur, imò interdum tantum augetur, vt virtus prosternatur.

Ex coitu quare intẽdum mõs.

Hippocratis est sententia, vnciam seminis importune eiecti: plus afferre detrimenti, quam sanguinis quadraginta. Idque non tantum renibus, sed capiti quoque, ac membris omnibus maxime est noxium. Nam testes, vt inquit Galenus lib. 1. de semine, ex venis seminarium humorem trahunt, eo violenter per testiculos detracto; venæ ipsæ rursus à suprapositis reuellunt, hæ vero ab his, quæ deinceps sitæ sunt, deinde hæ rursus à vicinis, adeo vt omnes totius animalis partes proprio alimento euacuentur. Quare nihil mirum est, si immoderato coitu vtentes, imbecilliores reddantur. Et sciendum, quod si eueniat, vt seminis portio melior attineat ad hepar, & minus probus ad ventriculum; fit vt fetus melues formetur secundum hepar, quam secundum ventriculum, &c.

Hoc bene tandum ab incontinẽtibus.

Seminis fluxus vel prouenit ob immodicã apertionẽ, vel amplitudinẽ vasorũ seminaliũ siue fiat ex immodico coitu, siue ex immodico exercitio, & motu, siue quia semen est calidius mor-

Seminis fluxus vnde prouẽniat.

mordax &c. siue etaie sit à iecore calidiore, siue ab assũptis acribus, & calidis, & similibus. Et si semem sit in causa, quia copiosum, & abundans, exit semen non infectum, non iusto liquidius, non mali odoris, sine acrimonia. Si vitium sit in qualitate, dum calidius est, non exit citra dolorem.

Semen generatur ex optima parte sanguinis.

De Conceptione, & generatione, sterilitate & abortu. Caput 50.

ISti tres termini, conceptio; generatio embrionis, & impregnatio: synonimi sæpe sunt, proprie tamen sumpti differunt multum. Nam conceptio est attracti à matrice seminis in sanguinis menstrui puriori parte commistio. Embrionis vero generatio est humanæ formæ susceptio.

Impregnatio vero tantummodo mulieris ex parte se ienet. Conceptione, *etenim, & ombrionis generatione facta; mulierem tunc, & non ante pregnantem dicimus.*

In fœmina non apparent nisi duo obtusi anguli, vnde interdum separatur semen,

&

& multiplicatur fetus.

Quare modo masculus, modo fœmina nascatur.

Mas producitur dum fit conceptio in dextera matricis, & dum mas est robustior secundum dexterum testem. Quia in parte dextera est maior caliditas, & producitur semen robustius. In dextero enim latere positum est iecur, & propterea in illa parte venæ laxiores, & completiores deducuntur. Fœmina autem generatur in sinistro latere matricis.

Et cur gemelli modo mares, modo fœminæ oriatur.

Cur autem gemelli modo sint mares, modo fœminæ, modo mas, & fœmina; ratio est semen. Si enim semen maris & fœminæ sit robustum, vterque fetus erit masculus. Si amborum semen sit imbecillum; vterque erit fœmina. Si autem maris semen sit robustum, fœminæ imbecillum; vnus erit masculus, alter fœmina: si fœminæ semen sit robustius, fœtus magis similis erit matri; si è contra; patri.

Articulatio contigit in femella, in diebus quadraginta duobus; in masculo in triginta: ita Hippocrates in l. de natura pueri. Quod autem femella posterius conformetur, & articuletur, causa est; quia genitura feminea debilior est, ac humidior.

Quomodo cognoscatur genitura masculi a fœmina.

Si fœmina generet masculum cognoscitur à colore etiam. Quia virtus caliditatis maris totum fœminæ corpus incalescit, & bene

ne coloratum facit. Hilarior quoque est mulier, & ad omnia magis prompta. Hoc tamen signum fallax est, si masculus sit imbecillis.

Quo ad sterilitatem & abortum sciendum est, quod longitudo virgæ, ac breuitas, foraminis tortuositas, vlcus & similia, sterilitatis causa esse possunt. Nam, vt ait Auicennas, sperma ex membro quolibet defluit, & ex sano sanum: & ex infirmo infirmum. Sterilitatis quæ sint causæ.

In aliquibus calor naturalis est ita fortis, vt totum superfluum vltimi alimenti in fumum resoluat, vel in membrorum substantiam conuertat, siue pilorum materiam. In quibusdam etiam tale superfluum in pinguedinem transmutatur: & ob hoc steriles fiunt, ideo homines pingues, nullius aut paucissimi seminis sunt generatiui, & raro coeunt. In mulieribus vero sterilitas accidit nõ minus etiam membrorum principalium, vel nobilium vitio, quam in viris; verum ob nimiam matricis stricturam, vel amplitudinem. Vnde Hippocrates. Quæcumque inquit præter naturam crasse, non concipiunt. His enim pingredo os matricis obturat. Craffities impedit cõceptioné.

Paralitica quoque matrix mulierem sterilem efficit.

Extrinsecæ vero causæ tam viris quam mulieribus communes sunt. Vt nimia ae-

ris

ris caliditas, generationis materiam resoluens, aut frigiditas mortificans, &c. His enim non aliter, quam alijs seminibus accidit. Nam si æstus tempore aliquid seminares, ab intensa aeris caliditate seminis humiditas resolueretur. Si tempore biemis; aut in locis frigidis; mortificaretur. In paludosis & humidis suffocaretur & in siccis; aresceret.

Similitudo seminis hominis cum aliis seminibus.

Mulieres pregnantes citius ob quietem, abortum patiuntur, quia propter hoc accidit eis mala dispositio, dum in eis multa superfluitas congregatur: in laborantibus autem non fit, quia labor multum facit euaporare de superfluo.

Partus facilis erit, si mulier eo tempore anhelitum retinebit.

Abortus causa interna sunt morbi, quibus expultrix ad expellendum irritatur vt febris &c. Inter causas externas computantur cibi paruitas, vel prauitas: dum enim fetus alimento destituitur; perditur.

De Ventositate. Cap. 51.

C*Ausa efficiens ventositatem est caliditas diminuta. Ventositas enim generatur à calido diminuto respectu materiæ*

in quam agit. Frigiditas enim non mouet materiam à sua natura, & sic omnimoda frigiditas non facit ventum. Neque omnimoda caliditas, nam cum fortis sit; resoluit: vnde sicut in fortissimis caloribus, & frigoribus non apparet ventus, ita in corpore nostro, nec in forti frigore prohibente materia grossa subtiliationem, nec in forti calore propter resolutionem insensibilem vapor aut ventositas generabitur.

Et si cibus, vel materia ventosabilis reperiatur, & caliditas media; ex cibo, vel humore de se non ventoso generabit ventositatem. Et propter hoc in corporibus ægris, vel sanis debilibus multiplicatur ventositas. Et in fortibus sanis minime, vel parum, licet vtantur rebus ventosis.

Auicennas tamen dicit, quod intestina calida, & fortia multam faciunt ventositatem. Sed vere ventositas dicitur causari à calore diminuto, impotente scilicet bene digerere, & consequenter generante multas superfluitates. Et nota quod materia ventositatis est humor frigidus, phlegmaticus, & talis non potest in ventositatem mutari nisi caliditate: quoniam frigiditas non subtiliat, sed ingrossat. Et quia ex vno pugillo aquæ generantur decem aeris per resolutionem, qui dilatati non possunt

Flatus quomodo generentur.

contineri in eodem ſpatio, in quo prius; hinc ſequuntur flaus, qui exeunt impetu, vt locum proportionatum inueniant.

Ventoſitas ſi à ſtomacho per os expellatur, ſequitur eructatio. Si vero ab inteſtinis per anum; ſequitur trulla. Et grauis eſt ſonus, cum eſt in loco amplo, ſicut in ſtomacho, aut in inteſtinis groſſis. Et eſt acutus, cum eſt in inteſtinis gracilibus. Item aliquando eſt clarus, cum ventoſitati non permiſcetur humiditas. Et ex oppoſita cauſa redditur non clarus. Quapropter claritas ſonitus in inteſtinis ſignificat mundificationem inteſtinorum, aut exiccationem fecis.

De ventoſitate cum voce, & ſine voce.

Ventoſitas quæ egreditur cum voce ſignificat proculdubio aut multitudinem ventoſitatis groſſæ vaporoſæ, aut ſtricturam inteſtinorum, in quibus penetrat. Cum ergo non fuerit ventoſitas multa, & inſtrumenta, à quibus egreditur ampla; tunc exitus ventoſitatis eſt abſque voce.

De difficultate Vrinæ. Cap. 52.

Vrina vnde ſic dicatur.

VRina ſic dicitur quaſi vrens, & deſiccans, ſiue mordens. Quando cum vri-

vrina commiſcetur plurimum ſanguinis, aut cholera, tunc redditur colorata.

Citrinus color communiter dicitur, qui eſt ſimilis colori citri maturi, Flauus; qui aſſimilatur colori caſtanearum mundatarum. Croceus; qui colori zaffarani aſſimilatur. Rubeus roſeus, qui aſſimilatur roſa rubea, cum tendentia ad obſcurum, eiuſmodi eſt color qui dicitur cremeſino. Et nota quod ſi vrina ſit alba, ſignificat frigidam & humidam complexionem corporis, & membrorum, & ſi ſit in ſubſtantia tenuis, ſi ſignificat ſiccam complexionem. Calidi enim eſt colorare, frigidi vero diſcolorare, humidi vero eſt ingroſſare, ſicci vero ſubtiliare. De colorib. Vide hic inferius.

In pueris multa ſuperfluitas phlegmatica generatur propter indigeſtiones, quas incurrunt ex frequenti commeſtione, quare cum ex ipſa maxima pars per vrinam euacuetur; hinc videmus eos frequentiſſime mingere, & multum. Pueri quare frequenter vrinent.

Lotium eſt ſanguinis, aliorumq. humorum, aquea quædam colatura, & redundantia. Quid ſit lotium, ſiue vrina.

Auicennas vult, quod incontinentia vrinæ, vt plurimum proueniat propter ſuperfluitatem frigoris, & mollificatio- De Vrina.

nem lacerti, & propter caliditatem plurimam attrahentem à vessica resudationem à corpore.

Sicut aqua viscosa secum trahens aerem, in rotundum eleuatur per subinclusionem aeris petentis exitum, & propter ipsam probibentem sua grossa viscositate ipsum exhalare; ita quando in homine reperiuntur humores crudi, viscosi, & expelluntur per vias vrinæ, ventositas grossa petit exitum, & humor sua viscositate exitum talem probibens, est causa, vt inde ampulla generetur: spuma enim non est aliud, quam multarum ampullarum aggregatio. Sed insuper nota, quod caliditas in humoribus ebullitionem inducens, & magnam partem in vaporem conuertens est causa factiuæ spumæ, & ampullarum in illis vaporibus inclusarum.

Ampullæ & spuma in vrina vnde generentur.

Sanguis in vrina apparens, si est ab hepate, ibi est dolor, & grauitas, & sanguis est purus in multa quantitate. Si à vessica; tunc est grossus, quasi fetidus, & est nigri coloris propter frigiditatem ipsius membri, & est paucus, quia est membrum pauci sanguinis, & circa pectimen sentitur dolor. Si est à lumbis, dolor sentitur circa renes, & lumbos, & dolor, & grauitas in re-

Signa vnde proueniat sanguis in vrina.

renibus sentitur.

Quando spuma adhæret vrinæ, signum est calorem esse diminutum, quod non possit materiam illam dissoluere. Vrina habens arenulas rubeas, indicat adustionem, & excrementa per aluum nigra sunt. De signis vrinæ.

Pauca vrina fit, vel cum quis parum bibit, vel ex siccitate, & caliditate multa: vel ex obstructione in vasis vrinarijs.

Inter alias causas difficultatis vrinæ, siue impedimenti emissionis vrinæ, vna est retentio vrinæ longo tempore, nam vessica extenditur, & meatus vrinæ opilantur, & etiam quia propter extensionem, villi latitudinales facti debiles; non possunt se contrahere, & constringere vessicam; ita vt vrina expellatur. Secundo est vlcus, aut scabies in meatu vrinæ existens, ex quibus natura sentiens mordicationem; terretur ab expulsione vrinæ per meatum illum, & cum in lacertis latitudinalibus ventris est paralisis, non possunt se contrahere pro vrina expellenda. Si autem in lacerto collis vessicæ est paralisis, tunc fit potius distillatio vrinæ quam difficultas. Item retentio vrinæ fit propter crassos, & viscosos humores, collum vessicæ obstruentes, & impedientes transitum vrinæ, qui tamen, & per Difficultatis vrinæ causæ assignantur.

vrinam, per ventrem, per vomitum, & per sudorem possunt educi. Facile est tamen per sudorem euacuare, si congrue exerceatur.

Vrina quare non possit retineri.

Erodentes vrinæ sunt causa, vt non possit retineri vrina, quia stimulant virtutem expultricem, vnde perpetuo sequitur distillatio. At humiditas, quæ est in glandulis in collo vessicæ, hunc vsum habet præcipue, vt suo lentore acrimoniam vrinæ obtundat.

Ardor ipsius vnde contingat.

Ardor vrinæ ratione sui contigit, vel quia mordax, salsa, acris, & calidior in se sit, vel quia addita sit ei aliqua substantia salsa, vel acris: ratione instrumenti contigit, vel quia in ipso veretro sit excoriatio aliqua, vel vlcus, vel exiccatio illarum humiditatum, quæ solent esse in glandibus penis, quæ facta sunt à natura, vt humectent longitudinem penis, ne vrina in transitu excoriat propter sui mordacitatem. Sic etiam intestina vestita sunt pituita illa crassa, ne mordacitas secum, & bilis in transitu corroderet illa. Et quando intestina ipsa priuantur illa humiditate, tunc contingunt abrasiones. Sic contingit in pene, vbi propter excessum aliquem superflua veneris, vel ob aliam causam

sam

sam consumitur huiusmodi humiditas; arescit meatus virgæ, & mordacitas vrinæ occurrit membro immediate, & sic causat ardorem.

Causæ retentionis vrinæ sunt, vel quia est defectus in expultrice virtute, vel vitio vrinæ, vel vitio instrumenti. Expulsiua virtus debilitatur, vel propter frigiditatem, vel propter aliquid aliud, vt non possit fungi proprio munere. Vitio vrinæ; vel quia non habet solitam, & debitam mordacitatem, quæ stimulet virtutem expulsiuam; vel propter sui crassitiem, &c. Retentionis vrinæ causæ assignantur.

Quod non liberè quis mingat potest prouenire ab aliqua materia viscosa, quæ in meatu veretri, & in collo vessicæ contineatur.

Signa humoris crassi in difficultate vrinæ cognoscuntur ex grauitate sensata, & pondere. Signa flatuosi spiritus est tensio sine grauitate, quæ interdum permutatur. Signa mollificationis musculi vessicæ sunt egressiones vrinæ absque voluntate. Signa expultricis facultatis læsæ sunt, si ex compressione facilis fiat vrinæ eductio, &c.

Prouocatur vrina leuiter vessicam comprimendo, vel cum titillatione in capite virgæ, vel cum fricatione in collo vessicæ, prope anum, conueniunt etiam decocta fu-

niculi, asparagi, petrosellini, &c.

Aphor. 19. lib. 7. Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, seu dissuriam, vini potio, & venæ sectio soluit.

De virtute expulsiua. *In omnibus corporis partibus est naturalis quædam vis excretoria, qua excrementa secernuntur, naturalis dicta, eo quod voluntati non obediat, sed naturaliter agit.*

De Lienteria, vel dissenteria. Caput 53.

Lienteria, vel dissenteria est fluxus cibi indigesti. Fluxibilitatis ventris, & stipticitatis; causæ sunt, vel intensa stomachi frigiditas, ratione cuius plus assumitur de cibo, quam immutari possit, vel intensa caliditas; appetitum prosternens. Cum ergo parum cibi assumitur, venter necessario stipticatur. Vel est expulsiuæ fortitudo, propter stomachi naturalem humiditatem: Naturalis enim humiditas membris innata expulsiuam fortificat, & debilitatur retentiua. Naturalis vero siccitas illi opposita, ventrem stipticat. Alia causa est multitudo cholerae, virtutem expulsiuam stimulantis, &c.

Aluus quare fluat. *Fluit aluus in febribus occasione humorum*

rum ad inteſtina tranſmiſſorum, & potiſſimum quando acres, & mordaces fuerint, & ſtipticatur, & aſtringitur in febribus, exiccatis fibris inteſtinorum ab ardore febrili. Item pituita, cibum & potum extra ventriculum, & inteſtina lubricare facit. Item flatus quoque non ſinens ſtomacho cibum inhærere, vnde putreſit, & expellitur; & ſic ſequitur lienteria.

Signa vlcerum in lienteria ſunt vomitus ſaniei, pus redolens, dolor &c.

Signa apoſtematis ſunt tumor, durities, grauitas, aſſiduus dolor, &c.

Signa flatus ſunt cum ſentitur flatuoſus motus, & dolor, qui modo vnam, modo alteram ſtomachi partem moleſtat, ſi crepitum, vel ructum emittant.

Item diſſenteria eſt inteſtinorum vlceratio, non ſine ipſorum, & alui morſu, atque cruciatu: & ſigna ipſius ſunt dolor ventris, punctio, & frequens aſſeclatio, in qua fruſtra inteſtinorum cernuntur. Signa vlceris ſunt ſanies exiens, & fetidus odor, &c.

Locus vlceris ſignanter cognoſcitur ex corticibus inteſtinorum exeuntibus. Nam tenues & pauci; ex gracilibus: craſſi vero & lati; ex craſſis inteſtinis deſcendunt. Item & ex qualitate eius, quod egreditur.

Nam

Nam à superioribus proueniens est magis fetidum,

Signa dißenteriæ à cholera; & vlcere, sunt mordicatio, & dolor in stomacho, & sitis.

A phlegmate; si quod egreditur, per anum, est viscosum, cum parua inflammatione, & pauca siti.

Escrementorum diuersitas vnde proueniat.

Escrementa emittuntur dura, & nigra, ex nimio calore epatis. Fluida, & alba, ex indigestione, & debilitate stomachi.

Fluxus chilosus prouenit propter nocumentum epatibs. Vnde quando egreditur res subtilis, aquosa, & alba; est chilus. Interdum etiam accidit propter calorem intus vehementer inclusum, potentem scilicet pinguedinem eliquefacere.

Necessitas surgendi frequenter ad asellandum, signum est debilitatis expulsiuæ, parum enim egreditur pro vice.

Pro cura dissenteriæ, inter alia, intrinsecus conueniunt sirup. de cicorijs, de granatis, zaccharum rosaceum, vinum nigrum, butirum, & similia. Extrinsecus autem proderit lauacrum ex vino rubro, in quo stiptica aliqua cocta sint, lauando manus & pedes: Dormire tamen est ex rebus magis iuuatiuis.

Obseruandum tamen est ex Auicenna, quod

quod nullus fluxus est constringendus, ni primum materia peccante euacuata, vel saltem minorata. Item fluxus diuersorum colorum numquam cohibendus, quia multitudinem humorum, & diuersitatem significat, si virtus tollerauerit.

Causa fetidi fluxus, est longa mora humoris retenti in loco præternaturali, vel vlcus, vel apostema, à quibus sanies male olens secernitur. De fluxu fetido.

De Emorrhoidis, & egressu ani. Caput 54.

IN circuitu ani à vena chili, venæ quoq; ortum habentes terminantur. Cumque natura fecali sanguine grauatam se sentit, per harum venarum seu alicuius ipsarum apertionem eum emittens, se exonerat sæpè. Et venæ emorrhoides dictæ sunt ab hemorogia græce, quod in latinum; fluxus sanguinis sonat. Et ob hanc causam venæ omnes per quos natura fecalem sanguinem emittit, emorrhoides nuncupantur. Vnde tam nasi, quam matricis venas, per quas sanguis effluit; emorrhoides vocamus.

Super emorrhoidales venas ani, excrescentia diuersarum formarum, vt mori: ficus: vuæ Excrescentiæ anui etiã emorhoides nuncupãtur.

vuæ &c. nascuntur sæpè, quas etiam emorrhoides appellare consueuimus. Et sic emorrhoides nomen æquiuocatur: quia quandoque venas, quandoque excrescentias illas importat.

Tenasmon quid sit.

Tenasmon est intestini recti passio, in qua cum intensa assellandi delectatione, egerendi voluntas frequens adest, & maximo cum conatu; parum, aut nihil, aut materia pauca muccosa, cum dolore circa anum, & anchas difficiliter emittitur quæ interdum paucis sanguinis guttis est admixta.

Egressus ani quæ sit causa.

Anus in tenasmone, & in dissenteria cũ sæpius egrediatur, ipsius causa extrinseca & intrinseca esse potest. Extrinseca est omne potẽs rectum, & musculos ani circulum obstruentes, lapsos, seu paraliticos efficere, vt est casus, vel percussio, musculos ipsos, seu neruos disrumpens; super re frigida sessio, balneum item mollificans, egerendi nimius conatus, laboriosum exercitium, & similia. Causa intrinseca esse potest apostema, quod sua ponderositate, ac grossitie anum ingredi non permittit. Humor quoque salsus, & acutus, lubricus item humor musculos relaxans, ani egressionem sæpè causat.

Fluxus emorrhoidorum vnde proueniat.

Fluxus emorrhoidorum, quod hic antea erat notandum, secundum Galenum fit vel ratione vasorum quia magis dilatantur, vel

quia dilatantur orificia ipſorum vaſorum, vel ſit vitio ſanguinis, quia plurimus ſit, vel quia nimis tenuis, vel acris, ita vt excitet virtutem expulſiuam: vel nimis feruens, ita vt faciat in tumeſcere venas. Vel ſit ratione membrorum mandantium, quorum virtus ſit potens in expellendo; vel quia imbecillis ſit virtus recipientium.

Inter cauſas tineſmi computatur etiam inflammatio in longanone facta, craſſities fecis, aut eius durities, aut fiſtula &c. Signa inflammationis ſunt grauitas, dolorq. continuus, qui nec emiſſione ſtercoris remouetur. ſi pituita ſit in cauſa, cognoſcitur à pituoſis excrementis, & pruritu in inteſtino recto. Si ab intemperie frigida proueniat, aderit conatus ad exercendũ, ſed nihil egreditur, & à calidis iuuatur: ſi à flatu incluſo iudicium erit, quod emiſſo flatu; ſtatim tenaſmon ceſſat.

De Hydropiſi, & Tumoribus. Caput 55.

HYdropiſis eſt abſceſſus quidam, qui in qualibet parte corporis accidere poteſt, præcipue tamen in abdomine. Item hydropiſis, quæ à modernis tympania vocatur

tur quia quasi tympanum resonat venter percussus, est passio ex frigiditate epatis generata, quia virtus epatis cibos non concoquit, nec in sanguinis substantiam conuertit. Item hydropisis est tumor ventris productus ab intemperie frigida iecoris cuius causa est materia exuberans frigida, stomacho etenim, & iecore frigida intemperie laborantibus, fieri non potest, vt cibus ingestus in benignum sanguinem mutetur: vnde cõuertitur in materiam flatulentam, quæ cum neq; per superiora, ructu; neque per inferiora, crepitu; nec aliunde, obstante viarum obstructione, vel expultrici superfluitatum vi debili existente; in locis ventris colligitur, & tympani modo crepitum elidit.

Nausea, & vomitus ũde proueniant. *Corruptæ materiæ in stomacho, nauseam, vomitum, ac appetitum corruptum inducunt. Et si ad tibias pedesque descendunt, eos mirum in modum tumefaciunt.*

Galenus inquit imminui calorem iecoris interdum à causa extrinseca, puta à potione aquæ frigidæ. Et interdum à febribus, quæ calorem dissoluunt & interdum ob immodicas euacuationes, quæ corpus refrigerant.

De Vomitu *Vomitus & subuersio sunt motus stomachi, dum fundunt ipsius stomachi ad superiora vertitur ad expellendum ex eo, quod est in ipso per viam oris, & hoc ex nausea.*

Se-

Secundum Galenum omnes vomere colores, exitiale admodum est.

Iecoris obstructio est angustia iecoris producta ab humore replente ipsius meatus, & cum vicinæ partes ab tumorem iecoris comprimuntur, aliqua oritur respirandi difficultas. Et qui hoc patitur maximè conqueritur se non posse scalas ascendere. Iecoris obstructio quid causet.

Euacuationes superfluæ per sudorem, vrinam, solutionem ventris per emorrhoides &c. paucificando calorem innatum, debilitant hepar, & faciunt eius digestiuam errare. In hydropisi tamen excitandus est sudor medicamentis, quæ extrinsecus admouentur, & potissimum balneis, quæ conficiuntur ex herbis calefacientibus & aqua calida: vix enim homines restitui possunt, nisi sudent.

Inter alia signa hydropisis est sitis inexausta, quia humor retentus est salsus, & putrefactus. Signum distinguens hydropem à prægnante est, quia ab vmbilico infra prægnantis venter extenditur, in hydrope vero, infra & supra. Quomdo cognoscitur hydropis à prægnante.

Tumores in corpore nostro generantur, & fiunt ex aliquo quatuor humorum, vel ex flatu, vel ex increscente carne. Ex sanguine bono, & simpliciori in locum aliquem collocato, inflammatio generatur. Ex Tumores, & inflāmationes vnde causentur.

bili,

bili, vel biliosо sanguine; eryſipilas. A pituita, vel pituoſo, seroſoque ſanguine, laxus quidam tumor, quemadmodum à bile nigra, vel ſanguine melancholico; durus tumor, qualis eſt ſcyrrhus, & id genus aliud.

Variolæ morbilli, & carbones ū de fiant.

Tumores, qui fiunt à ſanguine, dicuntur variolæ, qui vero à bile, morbilli: ab atrabile; carbones.

Raucedini, & ſuffocationi cauſatis ex variolis, & morbillis, ſi corpus ſatis euacuatum fuerit, proſunt ea, quæ repellendi vim habent, vt aqua hordei cum ſyrupo roſato. Obliniendi exaſperatum guttur, & facilem expulſionem præſtant ſyrupus violarum granatorum dulcium, de prunis damaſcenis cum ſaccharo. Si fluxio ad nares dilabatur omni arte cruſtas emollire curabis, ne prohibita reſpiratione, exulcerari contingat. Fitque id oleo amigdolarum dulcium, vel melonum, & ſimilium. Si vero in os, palatum, & linguam aut gingiuas variolæ, aut morbilli tanto numero prorumpant, quod alicuius partis exulcerationem, vel corruptionem vereamur, ſucco granatorum acrium, cum aqua plantaginis repellere curabis. Verum ſi fluxum impedire volueris caliditatem compeſces, quod fit aqua hordei, cum ſaccharo, vel ſyrupo roſaceo.

Quæ pro eis proſint.

Ad-

Addenda supradictis Capitibus, & alia ad medicinam pertinentia.

PHlegmatici viribus sunt infirmis, & inualidis, cũ enim phlegma frigidissimũ, ac humidissimum sit; ratione frigiditatis, corpus pigrum ad naturæ actiones reddit: humiditatis vero ratione, neruos omnes relaxat, languidosque facit.

Crudi humores quomodo euacuentur.

Plenitudo crudorum humorum nulla via alia melius concoquuntur, & euacuantur quam abstinentia, & inedia, & largiori exercitio; & maxime balneo in aqua medicamentosa.

Humor superfluitatibus erit vacans, si corpus mediocri vtatur exercitio, & bene cibum concoxerit.

Concoctio quid sit.

Concoctio nihil aliud est, nisi assimilatio. Familiaria melius concoquuntur, ea qua causa; panis optimum præbet alimentum.

Quod materia sit frigida apparet ex perseuerantia longa doloris, nam materia frigida, & viscosa est, & quando flatuatur propter extensionem, & solutionem continui; dolor efficitur.

Qualis debeat esse ventriculus.

Ventriculus debet esse calidus, & humidus pro concoctione fienda, & hepar debet

esse calidum, alias fit mala concoctio, & multi adsunt humores crudi, à quibus multi vapores ad caput eleuantur ex quibus catharri generantur. Abundare pituita multa, quæ excernitur per nares, & os, est signum humiditatis cerebri, & quod sit calidum indicitur; quando in hieme non potest aliquod operimentum capitis ferri, & si apponatur statim inflammatur.

Cerebri cu ius qualitatis sit, ex quo cognoscitur.

Bonitas ingenij prouenit à temperata frigiditate: & multitudo operationum, à cerebri caliditate.

Doctrina de phisonomia.

Hepatis, & cordis insigni existente caliditate, si etiam cerebri caliditas accesserit, necessario vir talis; ferorum ac barbarorum morum erit, crudelis, atque inexorabilis: cum Spiritus *animales non habeant vbi sedentur, & mitescant.*

Cerebri calidi proprietas

Cerebrum calidum (docente Galeno) non modo admittit facile, & amplectitur humores, vaporesque eo, amandatos, verum etiam calore suo quodammodo allicit, attrahitque atque hoc modo imbecillius factum, neque digerit, neque concoquit suum nutrimentum, sed potius corrumpit, aut crudum relinquit, vnde postea catharri, & alia mala abundant.

De crustis.

Crustæ testantur humores salsos, nam non sunt nisi ab humoribus calidis, & adu-

dustis. Vbi cranium est crassius, & densius, ibi materia non potest transspicare, sed fiunt crustæ.

Salsedo, & amaritudo habent eandem causam materialem, scilicet materiam crassam adustam, & efficientem, scilicet calorem adurentem, nisi quia amara sunt magis adusta. De salsedine & amaritudine.

Qui abundant squamulis, habent caput valde humidum, & pituita ibi exiccata, facit squamulas. Squamulæ in capite vnde proueniant.

Sputum copiosum demonstat ventriculũ frigidum, & abundat pituita, & cruditatibus, & flatus facit. De sputo.

Vapores melancholici ascendentes ad caput generant tristitiam, & cum in corpore sunt spiritus tenebrosi generati ex sanguine frigido, infrigidatur etiam totum corpus, & fiunt male concoctiones, & hinc est illa macies, & dispositiones illæ impetiginum morphea appellata, prouenienssquia nõ generatur sanguis bonus, sed corruptus. Macies, & morphea vnde causentur

Quod cor sit calidum cognoscitur cum homo est iracundus, & magnanimus, & constans in actionibus. Quod cerebrum sit calidum, & siccum, cognoscitur cum ad est promptitudo ingenij in actionibus, & celeritas, & quando quis non expuit, & ex naribus nihil profluit.

Debilia membra superfluitates suscipiunt.

Galenus, & Auicennas inquiunt à natura institutum esse, vt debilia membra superfluitates suscipiant aliorum.

De Pruritu.

Cum sanguis nimis abundat, accidit pruritus quasi vbiq; carnis, continuo oris dulcedo sētitur, & fiūt vescicula in ore, & labijs.

Cum cholera nimis abundat, accidit in facie color cedrinus, amaritudo in ore, sitis multa, & caput sæpe dolet.

Cum phlegma nimis abundat, in ore accidit multitudo saliua, idest sputus multus, oculi fiunt graues, & somnolenti, & color albus sine rubeo colore.

Cum melancholia nimis regnat, accidit multitudo appetitus canini, vrina tēdens aliquātulum ad viriditatem, vel palliditatem.

Ætatis diuisio.

Etas est spatium, in quo animal crescit, stat, decrescit, & manifeste declinat, & diuiditur in quatuor partes, in adolescentiam, quæ est calida & humida; in iuuentutem quæ est calida & sicca, in senectutem, quæ est frigida & sicca: & vltimum senium, quod est frigidum & humidum.

Melior est in senibus conditio, quia quod sperat adolescens, iam consecutus est senex, & remanet quod virtute, & recte factis quisque consecutus est, & grauior est etiam mors iuuenibus repugnante natura.

Distillatio quid sit.

Distillatio nihil aliud est quam superabun-

bundantis humoris ex capite in partes subiectas fluxio. Item distillatio est per palati foramina multorum humorum delatio.

Tenuis distillatio cognoscitur ex eo, dum expuitur, quod labilis sit, & fluat, è conuerso crassa in globum vertitur, & in se permanens non fluit.

Pthisis proprie est vlceratio pulmonis. Item Pthisis est detrimentum dissecationis, & consumptionis, cadens in corpus ex calore febrium habitudinalium, & vlcere pulmonis. Pthisis quid sit.

Si phtisis proueniat ab vlcere, tunc cura erit vt imprimis vlcus abstergatur cum aqua bordeacea, cum cicerum, ac zacchari decocto, vel brodio. Pro ea remedium.

Vlcus nihil aliud est, quam continuitatis solutio cum sanie. Galenus docet, quod vnitatis solutio in osse; fractura dicitur: in carnosa parte; vlcus. Quid sit vlcus.

Vlceribus, & apostematibus non est aliquid magis congruum quam quies.

Conuulsio à vulgo dicitur granfo. Causae conuulsionis sunt quaecumque strenue exiccant, & quaecumque possunt humiditatem in neruis naturaliter existentem dissipare; extenuare, & omnino exiccare, quod dicitur ex inanitione. Et eas replere, quod dicitur ex repletione. Ex immodico enim ca- De conuulsione dicto granco.

calore eorum substantia dissoluitur, & ex immodico frigore cogitur ac cohibetur.

Galenus non in vno loco tantum affert exemplum de chordis, quæ ob nimiam humiditatem rumpuntur, & de loris, quæ ad ignem longius calefacta contrahuntur.

Prouenit etiam ex aliquo fluxu mordaci, ad quem expellendum; nerui contrahuntur, vt virtus sit magis vnita, & fortior efficiatur.

De conferentibus phtisicis. Auicennas dicit, quod de maxime conferentibus phtisicis est panis cum zaccharo rosaceo, sed zaccharum debet esse recens, quod non præterijt annus.

De pleuriditæ punctura. In cura pleuriditis, si ad suppurationem vertatur, prima intensio erit puris concoctio, quæ fit cum vnctionibus mollienfibus sicut cum oleo amigdularum dulcium, butiro, adipe gallinæ, &c.

Pro hepate. Medicine conuenientes apostematibus ephatis, sunt aquæ endiuiæ, aqua ordei, cum sijrupo acetoso. Et conferunt inflammationi eius inter alia endiuia, cichoreum, & similia:

Pro ruptura. Regimen vniuersaliter habentibus rupturam, dicit Auicennas, est dimittere repletionem, motum plurimum, & coitum: item dimittere cibos inflatiuos, & omnes res mollificantes.

Ischias, idest coxarum dolor prouenit à materia fluente ad vertebras, & ligamenta vsque ad poplites, & suras. De dolore coxarum.

Goraga est inflammatio genuum, cum intenso dolore. De goraga.

Sciatica est dolor, qui incipit à iunctura ancha, & descendit retro ad coxam, & quandoque extenditur vsque ad genu, & ad calcaneum. De sciatica.

Peiora tempora ad dolores iuncturarum sunt ver, propter motum sanguinis, & humorum: & autumnus, propter malitiam humorum, & digestionis. De dolorib. iuncturarum

Auicennas docet, quod repercussiua, & fortiter stiptica sunt in articulari morbo multum suspecta, quoniam materiam in loco profundo incutiunt, vnde fit difficilis eius resolutio.

Febris ephemera, siue oliaria ita dicitur non ex eo, quod duret tantum per vnam diem, sed quia plerumque in vno die definat; perdurare tamen potest vsque ad quartum diem, sed raro tertium diem progreditur. De ephimera, & diaria.

Quod nos latini herniam dicimus, greci omnes fere testium tumores vocant. Qui possunt prouenire ex collectione incocti humoris in parte scroti, vel ex delapsu intestini, aqueique humoris collecti in eo- De hernia.

dem scroto, vel ex lapsu omenti in eandem partem, &c.

Galenus ennmmerat plures species herniarum, quæ sunt ventosa, aquosa, saniosa, carnosa, apostemosa, &c. Signa herniæ apostemosæ sunt tumor, durities grauitas, dolor, &c. Signa aquosæ suut, quod tactui cedit, & cognoscitur etiam per eius splendorem, & lenitatem. Signa flatuosæ sunt, quia redit absque dolore statim, facta compressione.

De ruptura. *Ruptura fit propter solutionem panniculi. Et signum commune omnibus rupturis est tumor inter abdomen, & peritoneum apparens.*

De corpore cachomico. *Vbi flaua bile, vel nigra bile, vel pituita, vel sorosis humoribus refertum corpus fuerit, cachomicum dicimus.*

De fincope, & hora cibãdi. *Corpora cholerica cum non cibantur in ipso febris principio, aut in hora status, quæ est prauior, tunc si sunt debilium virium, superuenit sincopis, & moriuntur in paroxismo: Si vero fortium virium; cadunt in extenuationem.*

De sensu, & motu. *Cur interdum remanente sensu, solus ammittatur motus, est quia aliqua materia est in neruis motus, & non sensus. Et temperies pro vno magis quam pro alio corrumpitur. Nam si corrumpatur ab humido,*

do, motus deperditur si vero à sicco; sensus.

Lotio capitis fieri debet ex lexiuio dulci, ex fermentis vitum, vel ligno salicis, in quo decoquantur maioranæ, saluia, betonica rosarum rubearum, &c. deinde cum pannis moderate calidis exiccetur; & abluatur vespertinis horis ante cenam, ita vt non amplius in aerem exeat vsque ad sequentem diem. De lotione capitis.

Rabies est intemperies calida, & sicca in summo, & miscetur morsibus, vel spuma, sicut morbus gallicus mixtione seminis: ita Celsus. De rabie.

Fatuitas est diminutio discursus. Amentia est, cum homines adeo carent discursu, & mente; vt videantur pura pecudes. Causa internæ fatuitatis, & amentiæ sunt frigidi humores, siue sint pituitosi, siue melancholici: ita Mercurialis de affectibus capitis. Causæ externæ sunt communes. De fatuitate.

Pituita solet distillare vel ad nares, & fit coriza grauedo, vel ad oculos; vnde lacryma, vel ad fauces, vnde raucedo: vel ad pulmonem vnde tussis, aut difficultas spirandi: vel ad ventriculum, vnde cruditates nausea, &c. Affectus pituitæ.

Frigiditas pedum retropellit quicquid noxium est, aut calidum, & ideo cum pedes frigent, faciem, & caput vri videntur. Frigiditatis pedum effectus.

Om-

Facies quando pulchra efficiatur.

Omne mouens sanguinem, & spiritum ad cutem, induit faciem pulchritudine, & rubedine. Res autem mouent sanguinem ad cutem, vel generando sanguinem bonum, atque subtilem, qui cum multiplicatur de facili spargitur per corpus, & hoc faciunt cicer. oua sorbilia, caro bona, vinum odoriferum, ficus, &c. Quædam vero sanguinem mundificando, quædam sanguinem dilatando, vt piper, garofali, &c.

Oppilare quorum fit.

Opilare est eorum, quæ sunt nimis humida, & viscosa, restringere eorum, quæ sunt nimis sicca, vel frigida. Vt primum est mel, vt secundum est acetum. At alia dulcia, quæ sunt proportionata in calididate, & frigiditate, hoc non faciunt. Ex hac doctrina patet quare mel, & acetum impediant gustum vini, & non funiculi.

Quando sit bonus.

Bonus sanguis generatur victus ratione congrua, aere optimo, & hilaritate animi. Ex his enim multiplicantur spiritus tum quantitate, tum qualitate.

Grauitas frigida quid significet.

Sentire grauitatem cum summa frigiditate in parte posteriori, signum est plurima pituitæ.

Regule comedendi, & bibendi.

Temporibus veris modicum prandere iuberis. Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis. Autumni fructus caueas ne

sint

ſint tibi luctus. De menſa ſume quantum vis tempore bruna.

Inter prandendum ſit ſæpè, parumque ſibendum. Vt minus egrotes, non inter fercula potes, inter ſ prandium & cenam, niſi magna cogente neceſſitate.

Si cibus liquidus, & concoctu facilis poſtremo ſumeretur loco, concoctionem eius multo citius, quam craſſi ac duri, qui prius ingeſtus fuerit, perfici contingeret. Ordo in comedendo.

Hancque ob cauſam liquidus cibus cum ob craſſum illum, nondum ex toto concoctum, ad exitum peruenire nequiret, nimis adureretur aut certe ſi exierit; craſſum illum, ſed in concoctum adhuc ſecum traheret: periculumque ita ei, qui comederet; non vulgare accideret.

Regula presbiteri iubet hoc pro lege teneri, quod bona ſunt oua, candida, longa, noua. Plenum ouum, aut non plenum cognoſces ex immiſſura in aquam: defectuoſum enim innatabit, plenum deorſum immergetur. Quæ oua ſint bona.

Butirum temperate calidum eſt, & natura pingue, facultatisq. concoquentis paulum habens, hinc humores in pectore ac pulmone fixos concoquit, & dolores ſedat. De butiro.

Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis, Caſeus præſtat, vt cibus ad fundum Quare poſt carnem caſeus, &c.

ven-

ventriculi, vbi concoctionis opus potissimum viget, promptius descendat. Post pisces igitur nuces, & post carnem caseus adsit.

Pisces frigidioris, humidiorisque sunt temperaturæ; ideoq. difficilius concoquuntur & tardius subducuntur, nuces vero cum euidenter excalefaciant, atque desiccent; eorum concoctionem adiuuant, & ad mediocre temperamentum perducunt. Ideo nota quod pisces duas habent facultates, adstrictoriam nimirum, & purgatoriam. Purgatoria est in carne, ad strictoria in corticibus, laudantur igitur, quæ adempto cortice manducantur, culpantur quæ non decorticata ingeruntur. Hoc enim modo pugna quædam in intestinis excitatur, purgatoria siquidem facultate succum excernere volente; ad strictoria vero retinente. Hincque intus affligitur natura ab vtroq; horum diuexata.

De leguminibus. *Quod de piscis dicitur, idem de omnibus fere leguminibus intelligendum est, præcipue tamen de corticem habentibus crassiorem, vt de fabis, & ciceribus nigris.*

De persicis. *Persicis, cum vehementius refrigerent, merito adhibetur mustum, quippe quod frigiditatem eorum, ne ventriculo noxam inferant, calore suo facile mitiget.*

De zucharo rosaceo. *Zuccharum rosatum videtur esse pro-*

prium

prium morbis ventriculi, & hepatis, abstergit enim, & corroborat caput, & probibet ascensum vaporum, & si sit recens, maxime lubricat corpus & refrigerat hepar, & non infrigidat ventriculum. Quia refrigeratio eius est satis mitis.

Gal. 1. Aphor. sanorum calor vaporosus est, nihil mordax præseferens, eorum vero, qui febricitant; insuauis, ac mordax est, & nostrum corrodens tactum. Calor sanus in quo differat a febrili.

Cur stillæ sanguinis in febre ardenti, mortalem esse febrem demostrent Galenus dicit, quia exeuntibus sanguinis guttis ex naribus, iudicatur sanguinem prauum esse, veruntamen non posse expelli præ infirmitate naturæ, vt necessum sit naturam succumbere, & à morbo superari. Stillæ sanguinis in febre quid demonstrant.

Refert Cardanus in de sanitate tuenda cap. quinto. Quod Carolus quintus dum maximum, atque potentissimum exercitum ex Hispania in Affricam traiceret, vt Tunetum Vrbem, à christiani nominis hoste occupatum eriperet, sole tunc temporis in leone existente; salus & leta Cesari victoria vno die, per salem obtigit, nam cum Cesarini ardore solis, atque infestissimo puluere, & aquæ penuria grauius, ardentiusque sitirent; Cesar salem omnibus distribuere, atque vnicuique granum salis lin-

linguæ ſupponere iuſſit, quod milites facientes; non ſolum ſitim, famemque die integro repreſſere; verum etiam anomiſiores effecti, hoſtem fugarunt, & Vrbem victores, ac ouantes intrarunt.

De coitu mulieres.

Aliquando mulier leditur ex coitu, quia vterus ex emiſſo ſpermate virili inflatur & intumeſcit, vnde poſtea matricem ledit, ipſam extenuando, & dilatando, & quia ſic refrigeratur; calidis applicatis dolor ceſſat.

De Gomorrhea.

Gomorrhea eſt inuoluntarius ſeminis exitus, quæ accidit vel vitio ſeminis, vel vitio vaſorum ſeminalium. Vitio ſeminis; ſcilicet vel ratione multitudinis, vel ratione malæ qualitatis acris, vel huiuſmodi. Ratione vaſorum, ſcilicet vel propter imbecillitatem ipſorum, vel quia relaxata & aperta ſunt, & calefacta, ita quod trahant quod non deberent trahere, & cum ſint debilitata; multa eſcrementa ad illa demandantur. Quandoque etiam prouenit ex caliditate renum, quæ poteſt eſſe tanta, vt dilatet, & aperiat vaſa ſeminaria. Exit etiam ſperma per conuulſionem, cum quis in epilepſia inciderit, propter villos qui contrahuntur & extenduntur in ea.

De inteſtinis & fecibus.

Inteſtina veſtita ſunt pituita craſſa, ne mordacitas fecum, & bilis excoriat. Quando inteſtina non poſſunt abſtergi, adurantur fe-

feces, & fiunt squibula tamquam pillulæ caprarum.

Adstrictio alui vt plurimum prouenit ex caliditate hepatis, quæ exugit totum humidum ipsarum fecum. De adstrictione alui.

Aluum mollem ad conseruandum, si natura defecerit, enitetur cum flore cassiæ, vel decocto prunorum dulcium, & saccharo. Item ad alui beneficium habendum singulis diebus, commodissime sunt passulæ dulces ante cibum sumptæ, vnciarum duarum quantitate. Et eius mollitie.

Experimento compertum est quosdam longiores quam credi possit, minxisse pilos, quasi medietatem vnius brachij. De pilis, qui emittuntur cum vrina.

Humores enim crossi in renibus propter caliditatem incensi, & exiccati, generant huiusmodi pilos.

Pauca vrina fit, vel cum quis parum bibit, vel ex siccitate, & caliditate multa: vel ex obstructione in vasis vrinarijs.

Vbi aer fuerit serenus, atque à sole non nihil expurgatus, proderit in publicum prodire, & in aere exerceri. De aere.

Dicunt Medici, cum volumus exhibere medicinam, quæ facilius expellatur nec potenter euacuet, facimus eam in forma potabili. Si vero vt potenter euacuet, nec ita de facili expellatur oppositum obseruamus; De medicina.

mus; datur enim vt vulgariter dicitur in bocconi. Et subiungunt, semper est opera danda, vt non tantum salutaria ordinemus remedia, sed etiam grata egrotis, & quæ minime ipsis sint molesta.

Horripilatio quid sit.
Horripilatio fit quoties mala qualitas, aut humor mordax, vel calidus, vel frigidus subito per membra sensibilia spargitur.

Hectici quare a cibo incalescant.
Hectici per horam à cibo incalescunt, veluti noua accensio illis superueniret: quod referendum est ad vaporem alimentorum inspersum ad membra iam exiccata. Vnde sicut effusa aqua in calce, manifestatur calor, quia ab aqua obstructis meatibus calcis, vapores & calor, qui prius respirabant, continentur, contenti ignem inibi magis cogunt, & augent, vnde fit vt auctus, mirum in modum tandem erumpat ita, &c.

De ablutione manuum.
Si fore vis sanus, ablue sæpè manus.

Malus odor ex radice quare.
Quia radices calidæ cum sint, attenuant, incidunt, & vaporum eructationem pariunt, ideo quibus prauis excrementis ventriculus infectus est, ructus male olet.

De motu.
Post prandium stabis, aut passu molli meabis: ideo post ipsum vituperatur ludus pilæ magnæ & paruæ: & similiter vituperantur fortia exercitia.

De repletione.
Omnis repletio mala, quia calore suffocat

cat

cat, & extinguit, quemadmodum excedens olei quantitas extinguit flammam ignis.

Acetum maxime refrigerat, non quod frigidissimum sit, sed quoniam tenuissimæ substantiæ est, multumque penetrans, & propterea multum refrigerans, vt docuit Galenus. De Aceto.

Alui deiectionem negligere, maxima incommoda afferre solet, scilicet coli dolorem, & ileom atque inde mortem. & quod iecur trahat alimentum prauum, scilicet quod excernendum est, atque ideo obstructiones, corruptiones &c. sequi solent, & tandem detrimentum capiti ex vaporibus: Vertigines, obliuio &c. De Alui deiectione.

Vt pauca generentur excrementa, necesse est vt iecur & ventriculum sint robustissima, nam sic concoquendo bene superflua; modica supererunt. De excrementis.

De Balneis & stufis. Cap. 56.

C*Onditiones balnei sunt moderatio ex parte aeris, vt ibi ventus non sit, & aqua non sit radijs solaribus calefacta: Sitque venter vacuus. Ob quam rem, ea in die balneandus parum comedet, & solito tempestiuius. Et ante aquæ ingres-*

sionem totum corpus fricetur, vt sic tractus calor ad exteriora membra; ipsa à frigiditate aquæ melius tueatur, & cum aquam exierit, iterum exiccando fricetur induaturque, & cibetur satis copiose. Sed nisi factis vniuersalibus euacuationibus in balneis intrare nemo audeat. Materias enim per corpus fluere faciunt, cuius causa accidentia periculosa facile in repletum corpus inducerentur, & in balneo, accepta prius aliqua confectione restauratiua; tanta sit mora, quanta quem stare delectat. Deinde lectus sit paratus pro abstersione, &c.

Quando balnea sint periculosa.

Pueris robustis balneationem interpollatam suis cum conditionibus conferre dicunt Medici, nam per balneum eorum calor sic ad interiora propulsus fortificatur, quare super humidum fortior factus; ipsum melius extendere poterit, & membra in longum producere, & superfluos humores sic facilius resoluet.

Corpora munda, & immunda quid consequantur ex balneis.

Corpora munda ex vsu balnei naturalis macrefiunt, quoniam sic eorum caro & membra resoluuntur, & exiccantur virtusque eorum debilitatur. Corpora immunda, phlegmate repleta, ex vsu eius moderato, impinguari consueuerunt, quoniam sic resoluto phlegmate, virtutem opprimen-

mente, quo prohibetur generatio boni sanguinis, virtus membrorum, & totius fortificata, in nutrimentum bonum faciendum, sic potentior redditur. Et hæc est causa quare quidam in coitu pinguescunt, & quidam macrescunt. Et notandum quod in balneo calido interdum contingit ledi pulmonem, unde debilitatur eius virtus expulsiua, quare per aggregationem multarum superfluitatum sanies inde generatur. Balnea aquæ frigidæ, pueros ab augmento prohibent, quoniam aqua frigida inspissat, & membra indurat, quæ eo tempore extensione indigent, & mollificatione. Senibus vero nocet, quoniam calor in eis, quantitate, & qualitate diminutus; frigiditati aquæ resistere non potest.

Ex certa quare quidã pinguescant &c.

Sanies quare interdum ex balneo.

Balnea aquæ frigida nocent.

Balneo aquæ dulcis vtendum est mane, absoluto somno, excrementis corporis eiectis.

Sed fortassis interrogabitur, vt quid apud homines ita vetusta balneandi consuetudo? vt tempore æstus pueri magis iuuenibus ac senibus; in aquis continuis diebus natent? Dicendum est balneationem in aquis currentibus, non sanitatis gratia, sed delectationis magis, ac vt natationis artem adipiscantur ab hominibus quæsitam, ac continuatam esse.

De quatuor anni temporibus. Cap. 57.

Morbi autumnales quare exitiales.

IN *Aphor. 9. l. 3. habetur. Quod autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte sunt. Ratio interpretis est, quia anni temporibus duplicem possidere contingit naturam, alteram propriam; alteram aduentitiam. Veris propria natura est calida, & humida: Estatis calida, & sicca: Autumni frigida, & sicca: Hiemis, frigida, & humida. Aduentitia est, si comitentur venti, pluuiæ, calores, siccitates, frigora, & huiusmodi, ab eorum natura aliena. Si igitur anni tempora propriam obtinuerint naturam, cum humana vita constet per calidum, & humidum; ver autem, quod est calidum & humidum, proportione humana natura correspondeat; fit ob conuenientiam; vt ver sit anni tempus saluberrimum, minimeque exitiale, si qua tunc egritudo hominem deprehenderit. Autumnus autem, quia natura opponitur veri, & viribus viget contrarijs; est necesse, vt morbos gignat pessimos; atque perniciosissimos.*

Ventorum Auster est calidus, & crassam ae-

aerem facit, & nubila nutrit, & interdum aerem corrumpit. Ventorum diuisio.

Fauonius qui & zeffirus, sic dicitur eo quod foueat quæ nascuntur. Septentrio est frigidus, & siccus. Et boreas vocatur ventus, ab oriente veniens, & est temperatus, quia à temperato loco venit, nam licet ibi sol nascatur cito tamen inde separatur.

Potest vetari sternutatio, si oculi parum fricentur, sternutatione caput purgatur à malis vaporibus vt domus à fumo, quando expellitur à vento. De sternutatione.

Si semen recipiatur inter omnes cellulas matricis, & ibi debere continetur, septem filij generantur, & septimus est hermaphroditus, scilicet qui in medio generatur, & plusquam septem non possunt habere in vno partu. De generatione.

Radij lunæ de nocte subintrantes, & permanientes ad caput dormientis, faciunt dolorem capitis, & fluxum rehumatis, quia tunc luna est multum humida, & quia rehuma causatur à superfluitate humiditatis, ideò facit catharrum. Et quia humiditas lunæ perturbat humiditatem cerebri, & augmentat ipsam, gratia huius augmentationis fit fluxus per nares, &c. Radij lunæ quare nocui.

Qui tenui humore imbutos habent cerebri sinus, ac cauernas, hi leuiter villicati De leui somno.

expergiscuntur, atque euigilant. Eo quod vapor rarus cito euanescat, ac dissipetur.

vnde varietas pruritus *Mulieres estate magis pruriunt, quam hieme, eo quod calor estiuus humorem accendat, ac venerem stimulet. In viris vero estinguit, nam calore immodico virile robur resoluitur, ac flaccescit. Pari ratione ruta, ac similia impense calida, ac sicca, viris vim concubandi eripiunt, eo quod humorem genitiuum depopulentur, in feminis vero acuunt, irritamque sua caliditate.*

Sanguis puerorum ebullit non secus in venis, quam mustum in dolio efferuescit, hinc inquieti sunt, agiles, lasciui, in ludo, & iocis immoderatius dediti.

Vt autem immodica cerebri siccitas à nimia crapula, inedia, venere contracta, memoriæ officit, quod ea qualitas inidonea sit ad suscipiendas rerum formas, quas ariditas, ac durities respuit, ita affluentur humiditas ex otio, immodico somno, &c; memorandi facultatem opprimit. Nam species sic, de facili effluunt. Hinc pueri, & senes obliuiosi, licet diuersa ratione.

De morbo gallico. Cap. 58.

ISte morbus vniuersæ Europæ communis, varias sortitus est appellationes, eo

eo quod Itali gallicum vocant, quia in gallijs primum apparuit. Habetur enim in historijs, Christophorum columbum anno 1494. *ex Indijs reuertentem, detulisse triremes non modo ingenti margaritarum copia onustas; verum hac lue refertas. Eo tempore Carolus Gallorum Rex octauus nummeroso exercitu Neapolim accesserat, vrbemque ipsam maxima obsidione cinxerat; Hispani vim contagiosi affectus cognoscentes, expulerunt scorta multa, eaque formosissima ex Indijs delata, quarum pulchritudine galli abducti, cum illis luxuriarunt, atque ita totus exercitus refectus remansit contagione ista: vnde ipsi galli morbum italicum appellant, quia re vera in Italia primum infecti sunt. Et Hispani neapolitanum morbum: nam primum in illius obsidione floruit. Indeque tamquam præmium hanc pretiosam gemmam Galli in suas detulerunt regiones. Qui præterea solent hispanicam scabiem appellare, tanquam ab hispanis communicatam. Eius causas multas esse dicunt Medici, ijdemque solam influentiam, aut aeris corruptionem sufficere non dubitant. Alij vero ex conuersatione aboriri affirmant, atque ita per oscula, & lactis subductionem, quemadmodum in pueris non-*

numquam reperitur. Tandem per coitum, eoque modo frequentius euenire asseuerant. Curatio huiusce affectus luculenter traditur à multis auctoribus, ceteris tamen validius erit, & animæ vtilius à venereis abstinere, & eorum displicentiam, & contritionem habere; Etenim Deum morbis per sæpè castigasse corpora, & peccata nostra intuemur.

Quare aliqui inficiantur morbo gallico, & aliqui non.

Morbo gallico aliqui inficiuntur, & aliqui non ab eodem, vel eadem 1. ex simpatia. 2. ex quantitate seminis effusi à muliere cum simpaticis, & non cum antipaticis. 3. ex frequentatione actuum coitus.

Mederi quam sit difficile. Caput 59.

CElsus dicere solebat, sanguinem mittere, medicamentum purgans dare, facile est, cui vero, quomodo, & quando; tam difficile, quam esse medicum.

Remedia nõ statim, nec de facili sũt adhibenda.

Vnde notandus est iste canon medicorum, scilicet quando medicus comprehendit materiam peccantem esse paucam, aptam ad benignum reduci, non debet statim tentare illam expellere: vt quando quis conqueritur de febre leui, aut de aliquo accidente, qui

qui est homo satis fortis, boni regiminis, non consuetus multiplicare multos malos humores, & huiusmodi, Tunc enim summa & prudentia, & moderatione vtendum est.

Insensibiliter noxia materia resoluitur leui frictione per spongiam siccam, pannum calidum, per pectinem, idque vacuo ventriculo post quam mane & aluus, & vessica, excrementa reddiderint.

Scripsit Hippocrates, quod medicus paucos sanat, quia paucorum morbos satis tempestiue cognoscit. Nam facile est dentes seruare, ne commoueantur, aures ne surdescant, oculi ne cecutiant, at postquam oculi cæcutierint, aures obsurdescunt, dentesque fuerint commoti; quibus hæc artibus (etiam si resurgat Hippocrates) ad integrum robur restituetur, existimo illud prudenter dictum, Principijs obsta &c. Quare pauci sanentur.

Duo sunt in frequenti medicorum vsu remediorum genera, magis excellentia, magisque necessaria, sanguinis missio: & purgatio. At circa vtrumq; est valde caute procedendum. Ad phlebotomiam enim præter virium robur, materiam, tempus anni, & etatem florentem; desideratur aluum esse liberum, & mundum ab impuris fecibus, vel vi naturæ, vel industria ali- In medicamentis caute procedendum.

qua

qua, clijsterijs scilicet aut balneis.

Ad purgandũ quæ prosint.

Ad purgandum præcipue prosunt cassia, manna, & syrupum rosaceum solutiuum. At quia cassia, vt multis mulieribus contingit; flatus & tormina excitat; ideo eius loco possunt dari unciæ tres, vel quatuor syrupi rosacei solutiui ad purgandum corpus.

Vna medicina quomodo prosit infirmitatibus contrariis.

Aduerte, & scias, quod natura prouida dedit cuilibet membro sicuti virtutem expulsiuam nocentium, ita attractatiuam prodentium. Vnde quando medicina ex compositione partim est calida, partim est frigida, quodlibet membrum attrahit pro se, quod sibi proficuum est, & ita vna, & eadem medicina potest prodesse duabus infirmitatibus, vel indispositionibus etiam contrarijs.

De gradibus caloris.

Gradus caloris & frigiditatis argumentantur medici ex sapore; & odore. Ex sapore etenim dulci, secundum magis & minus, argumentantur vnum, vel duos, vel tres gradus caloris. Ita etiam ex amaritudine maiori, vel minori. Gradus non excedunt quartum, nam cum qualitates perueniunt ad quartum gradum; sapiũt naturam veneni.

De aperientibus.

Et sciendum; quæ aperiunt necessario calida esse debere, nam calidi est aperire, fri-

frigidi conſtipare. Sed cum aperientibus vtimur, vt meatus clauſos, conſtipatoſque reſeremus, meatuſque duabus rationibus conſtipari queant, vel qualitate quapiam adueniente, quæ aſtringit; vel materia craſſa, aut viſcoſa, aut multa, ductum eorum obturante; de ſecunda intelligendo, ſcilicet viſcida craſſa, multaque materia; non poterit caliditas tenuis ſubſtantiæ, & velociſſimi tranſitus aperire. Ergo indigebit caliditas aperiens, ſubſtantia terreſtri craſſa, quadantenus tamen à calore attenuata, vt penetret quidem; ſed tarde. Et ex tarditate, ſua innata caliditas attenuet, concoquat, diſcutiat, & expellat materiam in loco obſtructo impactam, & adherentem.

Non debet hoc, aut illud remedium paruifieri, quod ab vſu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa ſunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inueniat, quo illa diiudicet. Vnde Hieronymus Cardanus in de Sanitate tuenda c.7.l. 1. docet, quod cum ſal additur oleo in lucerna, oleum manifeſte tardius conſumitur & tamen oleum conſumitur & à ſale, & ab igne, & ſine ſale; ab igne tantum: et quia non eſt euidens ratio huius differentiæ; experimento ſtare debemus.

Remedia non debent paruifieri.

De ſale, & oleo mirum

quan-

Regula medicinalis. *Quando applicata iuuant; replicata & continuata sanant.*

De Senectute, & morte. Cap. 60.

PHisice, & medice de vtraque loquendo notamus, quod his, qui diù viuunt, sero humidum cordis, & pulmonis siccatur: vnde plurimum humidum, & bene pingue adesse in cordis substantia necesse est: Ipsum vero calidum, quod in sanguine, & spiritibus continetur, non multum: non tenue: non acutum.

Homines igitur corde frigido, atque humido, ad vitæ munia parum prompti, non facile miscentur in negotijs ciuilibus, actionibusque humanis. Vnde ipsa abstinentia ab his negotijs, & à curis vitæ longitudinis est causa.

Consilium optimū pro iuuenibus. *Vt bene senescas; cito senesce, idest si vis diuturnam, & validam sortiri senectam, à iuuentute quemadmodum senex assuesce, moderate, temperateque, ac secundum medicinæ præcepta vitam ducere.*

In infirmitatibus quid curandum. *Quando infirmitas & naturalis, & etati consentanea est, non admodum dolendum est.*

est, sedneque valetudo iuuenalis aut speranda, aut expectanda est. Illud potius curare debet quisque, ne malum augeatur.

De morte, quæ secundum philosophos est vltimum terribilium, & secundum Poetas, Equo pulsat pede Principum turres, pauperumque tabernas, scire sufficiat, quod sicut cum comburitur lijcinium deficiente oleo, statim deficit flamma, & si post lijcinij combustionem adderes adhuc de oleo; numquam accenderes in eo flammam propter fortem exiccationem. Nam humiditatem eius subtilem omnino amisit, ita quia vita existit in humido radicali principaliter, & per ipsum conseruatur sicut & flamma per humidum radicale licinij: membra igitur terrestrificata, vt similitudinaliter loquar combusta, non habent humidum radicale: cum solo nutrementali non possunt esse subiectum vitæ.

Similitudo clara.

Multi senes carnosi, rubicundique celerrime corruunt, inopinatoque moriuntur: idque contingit, quia calor innatus robustus est, & iecur validum: Vnde illis prospera valetudo, & bonus habitus contingit: attamen cum à plurimo calore humidum vitale celerrime consumetur, cum suo bono illo habitu sunt prope morti, & ex improuiso moriuntur. Contraria ratione macilen-

Mors quibus præualeat.

lenti, ac etiam pallidi, & minime viridi, eo quod calor in his admodum parueus sit; ad longissimam senectam perueniunt. Tales enim habent iecur bene temperatum. Caput longitudinis vitæ est otium, cibi parcitas, cum corde humido, & calore pauco. Sacrorum Theologorum, & scripturalium, mortis rationes adducere; non est huius operis. Communis tamen ratio est, quia vt ait Apostolus, Statutum est hominibus semel mori.

Breuiaturæ Medicorum.

Re. 1. recipe. Sirup. 1. sirupij, ℥. 1. vncias tres. Q. 1. quantum. s. 1. sufficiat. m. misce. f. fiat. p. potio.

LAVS DEO.

Quoniam totam hanc materiam de infirmitatibus humanæ vitæ, desumpsimus ex libris Medicorum, ideo sicut ipsi suos tractatus, atque opera terminarunt; & nos terminare debemus. Quidam ex ipsis concluserunt dicentes. Ita varia sunt hominum ingenia, vt quod vni placere solet, multis placere non possit. Vnde in diuino illo Platone confusionem criminantur, in

Ari-

Aristotele, tenebrosam obscuritatem: in Plinio, turbulentam quamdam congeriem: in Paulo Aegineta, miram breuitatem: in Auicenna etiam emendato; quamdam nominum barbariem: in Galeno; nimiam prolixitatem: & ad praxim non desideratum ordinem: quid dicam de Hippocrite? qui modo laudatur modo à Galeno dannatur, ac reprehenditur, adeo vt nihil sit in scientijs ab omni parte beatum.

Alij concluserunt sic. Hac sunt, quæ tumultuaria lectione, successiuisq. temporibus, de medicina, & morborum generibus collegi. Aduerte tamen hic lector, quod & plura reperiuntur nam supra trecenta morborum genera præter nouos; asserit esse Plinius, & Augustinus l. 22. de Ciuitate Dei dicit tot morborum mala esse, vt nec libris Medicorum cuncta comprehensa sint.

Et tandem quidam suum opus his verbis conclusit. Hac sunt naturæ amatores feruentissimi, quæ ex commentarijs Galeni, & Hippocratis summatim, compendiosq; pro ingenij nostri capacitate perstrinximus, in quibus si quid imperfectum offenderit, diligens lector, facile vt speramus humanæ condonabit fragilitati, quoniam bonus quãdoque etiam dormitat Homerus. Nec omnia possumus omnes. Si quid vero boni

fru-

fructus in eisdem inuenerit; in totius boni referatur auctorem. Cui semper sit laus, & gloria.

Auctor qui Religiosus & Sacerdos.

IAm videre potestis benigni lectores, quibus, quantisq. morbis, & infirmitatibus potest nos punire, sicuti de facto punit, & flagellat iustus Dominus, quando eum offendere non veremur iuxta verba illa Spiritus sancti, per os Sapientis. Qui transgressor est legis, incidet in manus Medici. Timeamus ergo Deum nostrum, & eum offendere non audeamus, vt perpetua mentis, & corporis sanitate gaudeamus.

Si patientissimus Iob, & gloriosissimus Tobias, cum alijs sanctis, quampluribus infirmitatibus repleti fuerunt; sacra scriptura testatur ideo hoc permissum vt nobis patientiæ exemplum daretur & pro gloria ipsius Dei. Et si iustus etiam morte preoccupatus fuerit; in refrigerio erit.

Laus Deo. Beatissimæ Virg. Mariæ, & SS. PP. Benedicto, & Petro Cælestino.